
3 2044 058 264 136


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
ET
VE RI TAS
CHRISTO ECCLESIAE

INSCRIPTIONES
UMBRICAE ET OSCAE

QUOTQUOT

ADHUC REPERTAE SUNT OMNES.

AD ECTYPA MONUMENTORUM

A SE CONFECTA

EDIDIT

CAROLUS RICARDUS LEPSIUS

PHIL. DR., EX INSTITUTI ARCHAEOLOGICI ROMANI RECTORIBUS.

COMMENTATIONES.

LIPSIAE

PROSTAT APUD GEORGIUM WIGAND.

MDCCCXLI.

Typis Breitkopfii et Haertelii.

PRAEFATIO.

In componendo hoc inscriptionum opere id sum secutus consilii, ut cognitionis linguarum veteris Italiae firma iacerem fundamenta. Biennio amplius in Italia versatus loca ipse adii, quibus tituli adservantur; eorum ut certa mihi compararem exempla, chartis expressi insculptos, accuratissime exscripsi alios, qui picti erant, ut inscriptiones in muris Pompeianis. Haec ectypa et apographa a me ipso confecta in tabulis reddidi quam fieri potuit religiosissime. Singulorum enim in ectypo unoquoque nostro characterum extremitates acu perforari, deinde puncta in chartae folio notata ad litteras delineandas calamo inter se coniungi et tum denique in lapidem transferri curavi, ita quidem, ut huic operae semper ipse ego interessem.

In prima commentationum parte adnotavi, quae de monumentorum illorum ratione dicenda erant. Inscriptiones ab aliis prolatas, quas ipsi mihi videre non contigit, non exclusi, sed secundum earum fidem disposui; separavi a certis et eas, quae propter rationes gravissimas spuriae viderentur esse, et dubias vel quas accurate ab aliis expressas esse praestare non potui. Omnium vero tempora adnotavi et loca, quibus reper-

tae olim dicuntur et ubi hodie adservantur; dixi de iis, qui ediderunt et illustraverunt; transscripsi denique litteris latinis.

In secunda parte primum caput est de nummis, quae monumenta veteris Italiae inscripta omitti non potuerunt. In tabulis XXIX. et XXX. nummos expressi inscriptos, qui aliqua de causa commemoratione digni visi sunt. In re nummaria autem nemo nescit, quam sit difficile genuina a falsis et ad speciem veritatis confictis discernere. Saepissime neque stilus effigierum neque metalli fabrica satis aperte fraudem demonstrant, et si demonstrant uni alicui qui in manibus tenet, negat alter, quoniam argumenta fraudis non possunt ita consignari sive verbis sive pictura, ut aliorum quoque, quibus nummi non praesto sunt, iudicio possint submitti. Accedit quod semper gratius fecerit is, qui novum vel memorabilem vel rarissimum detexisse sibi visus est in aliqua collectione nummum, eumque publici iuris facit, quam qui cimelia illa falsa vel dubia esse confirmare conatur. Maxima vero falsariorum peritia in oculis tantum posita est et manibus: vera ii melius imitari, quam verisimilia invenire possunt. Linguae et magis etiam palaeographiae leges subtiliores raro illis hominibus cognitae sunt, quare saepissime his in rebus peccant, praesertim quum de monumentis agatur, quae non sunt romana nec graeca. In hoc igitur maxime viri docti qui in rebus nummariis versantur, animum advertere debebant. Quodsi hanc investigandi viam, prout operis ipsum argumentum postulare videbatur, paullo liberius ingressi sumus, quam adhuc fieri solebat, non mirabuntur viri illi, quod saepius in

nummis haesimus, qui ne minimam quidem apud ipsos moverant suspicionem, et bene notabunt, nostram his in rebus iudicium non ex fallaci fabricae specie petitum esse, sed ex argumentis, quae ab unoquoque diiudicari possunt, etsi non praesto sunt nummi, uti nobis fuerunt vel ipsi vel eorum ectypa, quum in eos investigaremus eosque in tabulis repraesentandos curaremus. Diu haesimus in nummis Iguvii, de quibus non levem instituimus quaestionem, quum et aliis multis, et nobis ipsis propter communem cum famosis illis tabulis patriam inprimis essent cari et memorabiles. Neque vero in animo est negare, unum alterumve exstare nummum, qui nulli obnoxius sit dubitationi et ad cuius speciem male intellectam alii conficti sint. Tamen quas infra exposuimus difficultates in omnibus fere, quos recensere licuit, obvias, eae sane eiusmodi sunt, ut nostrum de his iudicium amplius defendere vix opus sit. Et multo quidem difficilius est, si omnino fieri potest, argumentis demonstrare, nummum esse genuinum, quam esse spurium. Quare, si veri Iguvii exstant nummi, eorum est in re nummaria experientissimorum virorum, qui ante oculos habent totam seriem, non tam fidei in se suscipere demonstrationem, quam eorum quae proposuimus falsitatis argumentorum refutationem.

In altero capite secundae partis dissertationem de alphabetis umbrico et osco conscripsi. Certa enim cognitione palaeographica niti debent, qui materiae a me collectae operam amplius navare volunt. Nec sine causa spem concepi, in tanta ectyporum quae dedi et apographorum fide hanc meam

collectionem disquisitionibus de Italorum veterum palaeographia instituendis pro fundamento fore satis firmo. In tabulam XXXI. alphabetorum umbrici et osci formas potissimas ex monumentis contuli, adiunctis simul alphabetis etrusco et latino, quale id quidem ab Umbris et Oscis partim usitatum fuit.

Tertia pars tres indices complectitur, quorum primus voces Umbricas, alter Oscas recenset, quales in monumentis leguntur; ultimus eas voces, quas scriptores uni vel alteri linguae tribuunt; inter quas etiam recepimus ab iisdem scriptoribus ex aliis linguis vel dialectis veteris Italiae et maxime ex Sabina lingua exhibitas. Pro certo enim habemus, in duas tantum magnas partes, quod ad linguas attinet, Italiam olim divisam fuisse, unam septentrionalem, quae ante Etruscos a Pado ad Tiberim Umbrorum fuit; alteram meridionalem, quae ad ultimum Bruttium usque, exceptis tantum Graecorum coloniis, populis Osce loquentibus subiecta fuit. Id vero demonstratione vix eget, in confiniis harum duarum partium, quae inter se rursus erant cognatae, gentes et dialectos exstitisse, quae quasi transitum formarent ex una ad alteram. Id quod maxime cadit in Sabinos, quos ipse Zenodotus Troezenius, rerum umbricarum scriptor, umbrica stirpe oriundos postea demum suum accepisse nomen affirmat, quum rursus Samnites ex Sabinis oriundi osca loquerentur lingua et plurima quae tanquam Sabinorum laudantur vocabula, simul osca sint. Inprimis vero priscae linguae latinae arctissime coniuncta fuisse videtur sabina, ita ut saepis-

sime eadem verba Sabinis ab uno, priscis Latinis ab altero accenseantur scriptore; id quod ex situ geographico aeque atque ex historia concludendum fuisset, etiamsi his linguae careremus indiciis.

Apparet, nihil me dare voluisse praeter materiem, in qua tractanda versari iam studia possint. Id vero gratius fore auguror viris vere doctis et intelligentibus, quam si aut levius simul et minus plene de linguis exposuissem — cui quidem operae rite absolvendae per proximos annos animum advertere non potero — aut in scriniis pressissem quae collecta habeo, dum tempus illud venisset. Publici iuris nunc apparatum facio, quem non sine labore undique conquisitum adhuc meorum fundamentum habui studiorum. Sed spero fore, ut ex hac ratione mea litterae ipsae utilitatem percipiant. Nec quemquam talem collectionem vituperaturum arbitror tanquam inutilem, propterea quod plurimae inscriptiones iam antea separatim fuerint editae. Nam inscriptiones ad unam omnes adhuc vitiis erant inquinatae eorum qui publicaverunt culpa admissis. Ita in tabulae Bantinae apographo optimo errores notavi viginti; Abellanus autem titulus, eorum qui osce scripti sunt maximus, quum nongentis fere litteris constet, in editione praestantissima ducenta quinquaginta reperiuntur elementa aut falsa aut prorsus omissa, quo in numero non comprehenduntur formae palaeographice corruptae, dummodo litterae vis recte expressa sit. Ita porro vel in bono Dempsteri apographo tabularum Eugubinarum plus octoginta vitia resederunt, nec ulla ex iis tabulis cum fide palaeographica

transscripta est. Ex minoribus autem titulis osce scriptis multi ita erant expressi, ut nullus eorum usus esset, id quod comparanti facile apparebit.

Sane hoc ita esse aegre crediderit, qui Grotefendi libros adhibuerit, cui in tali apographorum condicione, nulla tam difficilis visa est inscriptio, quin plenam confecerit interpretationem. Hos tamen conatus saepissime ingeniose proposita commenta potius esse, qualia alii ante eum rectius divinationes appellare solebant, id ex ratione satis intelligetur, qua ille errores ducentos quinquaginta in Abellanae tabulae apographo commissos removit. Nos eius tabulae versus primos quatuor ponimus, qui a Grotefendo pro primo initio habentur. Haec ibi leguntur fragmenta:

Ekkum..............
trííbarakavum......
liímítú.. iermúm.....
Herekleís fíísname fí..
ist —

quae Grotefendus [1]) non interrupto verborum ordine et supposita interpretatione ita legit:

Ekkoma	triibalakae	liimitel	Herekleis
Qua ex parte	tribulosae (terrae)	limes	Herculis

fiisno	meti	ist.
ficeto	medius	est.

Tanquam aliud exemplum propter ambitum minorem commemoro inscriptionem, quam Raoul-Rochetteus [2]) anaglyphi

1) Rudim. L. O. p. 41.
2) Monum. inéd. pl. LXIII.

causa male olim supra positi edidit, octodecim illam litteris falsis corruptam. Eam Grotefendus [1]) hunc in modum legit et interpretatus est:

...niis Oeilennis Niumisieis k.... Mamerkins,
—nius Oilennius Numisii (filius) civis Mamercinus,
ganviis perkekie(ved): Meddiss degetasius ara(getud
laetus perquievit : Meddix dictator adigendo
multas)
multas.

Inscriptio autem ipsa haec est:

..umiís Heírennís niumsieís ka
perkens gaaviis perkedne
meddíss degetasiús araget.

Hinc iam non est mirum, Grotefendum aeque prompte tres inscriptiones certe spurias interpretari et ad verbum transferre potuisse.

Equidem, quod iam olim professus sum, vix unquam plenam tabularum interpretationem confectum iri arbitror. Maior enim fuit in illis linguis verborum copia, quam ut id sperari queat. Aliter habet in earum linguarum grammatica; nam certae quaedam formae, leges, analogiae, quae non adeo multae sunt, frequentius etiam in paucis monumentis observantur. Agendum igitur hoc est, ut grammaticas linguarum rationes in sonis eorumque varietatibus et in formis principalibus conspicuas pernoscere studeamus. Nec tamen haec mea est sententia, ut neglectam velim verborum interpretationem:

---

1) Rud. L. O. p. 34.

interpretabor, quantum fieri potest, ipse olim inscriptiones. Sed tantum abest, ut in interpretatione singulorum verborum summa sit horum studiorum ponenda, ut ea uti debeamus ad altiora perficienda et graviora. Qua in re Niebuhrius, primus viam veram monstravit, quam O. Müllerus egregio successu ingressus est. Tum Klenzius illorum vestigiis institit, et quum immatura morte is quoque his studiis ereptus esset, specimen tamen reliquit gratissimum studiorum suorum, quod Lachmannus cum aliis Klenzii opusculis post eius mortem edidit[1]). Schedae, quas ille scriptas reliquit ad oscarum litterarum illustrationem spectantes ab eodem Lachmanno mihi tradidae sunt et partim etiam in his ipsis commentationibus, ubi de litteratura osca dixi[2]), aliquam praebuerunt utilitatem. Alia quae in singulis foliis a Klenzio notata sunt ad explicandam tabulam Bantinam, de qua ipse olim multa mecum communicaverat vir desideratissimus, aliquando in verborum interpretatione cum fructu consuli poterunt.

Haec scripta erant, quum novissimum opusculum Avellinii: Conghietture sopra un' iscrizione sannitica, lette all' Accademia Ercolanese, Napoli. 1841. 4o. inscriptum ad me pervenit, quo edito sane optime

1) Philologische Abhandlungen von Cl. Aug. C. Klenze, herausgeg. von Karl Lachmann. Berlin 1839. p. 23: Das Oskische Gesetz auf der Bantinischen Tafel. p. 55: Zur Geschichte der altitalischen Volksstämme, besonders nach den Ueberresten ihrer Sprachen.

2) Vide infra p. 142.

meruit vir doctissimus de litteris oscis. Eadem hic tractatur inscriptio, quam in tabula nostra XXVII. No. 44. secundum Guarinii minus accuratam editionem repetivimus, de qua conferas quae p. 87. adnotavimus. Lapis, in quo titulus insculptus est, nuper a museo Neapolitano emptus est et ab Avellinio in scriptione illa talis repraesentatus, qualem in parva tabula ad finem harum commentationum addita exhibitum vides. Sane exspectaveram in titulo lapidi inciso litteras, ut in ceteris fere omnibus, nitidiores fuisse; atque aegre crediderim litteras v et a in primo versu coniunctas esse, id quod prorsus contra morem et regulam characterum ligatorum esset; porro signum finale post vocem **upsed** prorsus est inauditum. Avellinius lapidem inter F o r l i et R i o n e r o urbes in comitatu M o l i s e repertum esse tradit. Legendum est: **pg. de. pg. suvad eitiv. upsed,** atque ita Avellinius legit praeterquam quod g litteram non novit et pro eadem atque k vel c habet [1]). Explicat idem: P a c u l l u s D e c i u s P a c u l l i (f i l i u s) s u a i m p e n s a vel p e c u n i a f e c i t vel p o s u i t. Quas fecit de singulis verbis adnotationes, non minus docte quam ingeniose protulit, licet cum iis, quae de terminatione osca **d** p. 9. 10. disseruit, consentire non possimus.

Altera brevis inscriptio aeri incisa ab eodem auctore p. 2. laudatur, quam subiunximus in tabula adnexa No. 2. Titulus hic est: **iúvcís lúvfreís,** qui si Pinnae repertus est, ut tra-

---

1) p. 4. nota.

ditur, unicus certe est, qui oscis litteris scriptus trans Apenninum innotuit. Nummos enim graves et fusos Vestinorum latinis inscriptos vidimus litteris VES. Ex museo Baronis Genova in urbe Vasto hoc monumentum nuper in museum regium Neapolitanum translatum est.

In Appendice eiusdem opusculi nova proponitur explicatio maioris inscriptionis Pompeianae, quam tab. XXIII, 13. repraesentavimus. Variatio lectionum quam hic deprehendimus, non est nostrae culpae tribuenda, sed eius qui Avellinii exemplum exscripsit; monumentum enim ipsum ita habet, ut nos dedimus v. 2. púmpaiianaí cum ú; v. 4. Viínikiís. Mr. cum puncto inter duo vocabula; v. 5. kúmben cum ú; v. 6. nieís cum í; v. 7. ísídum cum duabus í et prú. fatted cum puncto post prú.

Tertia inscriptio nova ab Avellinio p. 24. primum publicatur [1]), quae nuper Pompeiis effossa maxime est memorabilis propter magnam similitudinem perditae illius Pompeianae in porta Sarni repertae, a nobis in tab. XXIV, 20. secundum Claracium repetitae. Ea enim haec est:

V. Pupidiis V. med. túv.
passtata ekak úpsan.
deded isídu prúfattr (sic).

Sculptoris sane errores sunt, aut eius qui titulum exscripsit, quod in primo versu legimus Pupidiis pro Púpidiis, et in tertio isídu pro ísídu. Magis etiam offendimur ultima voce

1) Tabula adnexa, No. 3.

prúfattr pro ea quam exspectaveris prúfatted; veram tamen hanc esse lectionem vocula sic addita confirmat Cl. Avellinius.

Ultimo loco pono, quod ex hac viri clarissimi dissertatione (p. 9.) didici, in parte aversa nummorum Teani oscorum saepius legi Sidikinum. Mihi ipsi non contigerat alia huius nummi exempla videre, quam in quibus ultima littera epigraphae Sidikinum oblitterata erat, praeter unum in museo nobilissimi principis S. Giorgio Spinelli asservatum, in quo vestigia satis aperta litterae d perspicere mihi visus sum, qualia in nostra tabula XXX. No. 17. repraesentavi. Neque aliud quidquam exspectaveram secundum adversae partis epigraphen notam Tíanud. Tamen ab eodem Avellinio iam alibi hanç terminationem -um [1]) semel laudatam fuisse secundum Sestinium [2]), nunc video. Quodsi revera nova illorum nummorum comparatione confirmatur, in uno um, in altero ud scriptum esse, mihi quidem non est dubium, quin una vel altera lectio in his quoque nummis, quos omnes adhuc genuinos esse putaveram, falsariorum operae imputanda sit.

Adiiciendum denique arbitror, ante hos paucos dies, amicissimi et nobilissimi comitis Hieronymi de Benis gratia, ectypon ad me missum esse, quod ipse venerabilis etruscorum

1) Giorn. num. III. p. 35. Opusc. vol. II. p. 35.
2) Sestini Descriz. p. 14.

studiorum Nestor Vermigliolius mihi confecit, inscriptionis illud umbricae Asisinatis, quam in tab. XXVII, 2. secundum Vermiglioli editionem repraesentaveramus. Nihil nos ex hac ectypi comparatione didicimus, nisi quod duae T litterae revera, quod p. 50. suspicati sumus, casu quodam in Vermigliolii repraesentatione in uno latere detruncatae sunt. Post vocem PART in ectypo punctum videre mihi videor; M littera quae est tertia a fine in voce MARONMEI vix aliter legi potest, licet lapis in eo loco paullo laesus sit.

CONSPECTUS.

PARS PRIMA.

A. INSCRIPTIONES UMBRICAE.

I. Tabulae Eugubinae.

(Tab. I—XX.)

Inter monumenta non tantum Umbriae, sed, Romanis exceptis, totius veteris Italiae Iguvinum illud, quod in principio collectionis nostrae posuimus, sive magnitudinem sive integritatem aliasve internas et externas virtutes respicis, longe est praestantissimum. Qua de causa anno 1837 mense septembri iter fecimus in urbem Eugubium, nunc Gubbio dictam, ad montis Apennini radices in septentrionali angulo veteris Umbriae cismontanae sitam, ibi ut celeberrimum illud monumentum oculis ipsi videremus et ectypon chartae impressum efficeremus. Ad id opus peragendum summa cum benignitate admissi, nobilissimis inprimis comitibus de Benis maximam nos habere gratiam, vel hodie, quatuor annis post lubentissime profitemur.

Anno 1444 [1]) in subterranea concameratione septem illae laminae, ex aere purissimo factae, litteris partim umbricis partim latinis inscriptae, nullo loco fractae vel contritae, repertae sunt. Quanti aestimatae fuerint inde a primo inventionis tempore, documentum faciunt emtionis litterae in secretiore Eugubii tabulario adhuc adservatae, in quibus primum possessorem vel unum ex primis anno 1456 has septem tabu-

---

1) Antonii Concioli Annotationes in Statuta civitatis Eugubii. Maceratae. 1673.

las civitati Eugubinae vendidisse et ,,contra fructus reditus et proventus pro biennio" certorum pascuornm accepisse legimus [1]).

Longo interposito temporis spatio J. Lipsius [2]) primus evulgavit partem tabularum in Smetii antiquarum inscriptionum libro posthumo. Habes ibi fol. XXXVIII. tabulam quartam umbricis litteris exaratam et subinde sextam latine scriptam. Exscripsit easdem tabulas Gruterus [3]) ex Lipsii libro, ibique subiunxit eam tabulae quintae partem, quae latinis litteris scripta est, et quam aliunde acceperat. Primum explicandi periculum fecit Bernardinus Baldus [4]), sed ne litteras quidem umbricas divinare is potuit, multo minus sententias. Neque felicior fuit hoc in conatu Adrianus Scrieckius [5]), qui anno sequenti tabulam septimam latinam interpretatus antiquissimam scilicet linguam belgicam detexisse sibi visus est.

Post integrum saeculum Philippus Bonarota primus omnes tabulas cum doctis communicavit in Dempsteri De Etruria Regali opere posthumo [6]). Typos characterum excudendos curavit, ,,archetypo, ut ipse affirmat, in omnibus similes praeterquam in magnitudine." Sed litterae excusae palaeographicam fidem non habent eam, qualem nos praestare studuimus. Neque enim eaedem litterae eandem semper conservant formam in una tabula, unde quid de diversis tabulis diversa manu et diverso tempore exaratis statuendum sit, sponte intelligitur. Attamen quamvis ne in litteris ipsis qui-

---

1) Ex libro Reformationum Civitatis Eugubii. p. 132.

2) Inscriptionum antiquarum quae passim per Europam liber. Lugduni Batavorum. 1588.

3) Inscriptiones antiquae a. 1601 primo editae. vol. II. p. CXLII.

4) Divinatio in tabulam aeneam Eugubinam lingua hetrusca veteri perscriptam Augustae Vindelicorum. 1613.

5) Van't Beghin der eerster Volcken van Europen, etc. t'Ypre. 1614.

6) Edendum curavit hoc opus Thomas Coke, comes de Leicester, a. 1723. 1724.

dem ex archetypo excriptis id exemplum, quod inde a Bonarotae temporibus usque ad nostram aetatem omnibus viris doctis fundamentum praebuit interpretationum, crebris exemptum fuerit erroribus, nihilominus cura et diligentia, quam Bonarota in hoc monumento evulgando pro illis temporibus sane maximam posuit, nunquam satis digne laudari poterit. Primus idem fuit, qui linguam tabularum non etruscam sed umbricam esse docte suspicaretur.

Post Bonarotam nominandi sunt Ludovicus Bourgetius[1]), qui observavit, tabulis duabus latine perscriptis unam umbricarum respondere, ita ut rectiorem litteraturae umbricae pronunciationem enucleare posset; Franciscus Gorius[2]), qui Bonarotae tabulam secundam denuo ex archetypo incidendam curavit et nonnulla in Bourguetii alphabeto emendavit; Hannibal Olivierius[3]), qui primus vidit de rebus Iguvinis in tabulis agi; Maffeius[4]), qui acerrimis neque vero iniquis verbis Bourguetii, Gorii, aliorum ridiculas interpretationes castigans nihil hucusque de argumento tabularum sciri demonstravit. Nihilominus antiquam rursus ingressi sunt viam post Maffeium Lamius[5]), Passerius[6]), Bardettius[7]), inter quos Passerius novam et paulo rectiorem tabularum dispositionem protulit et recensum verborum sed non

---

1) Bibliothèque Italique ou Histoire littéraire de l'Italie. tom. III. art. VIII: Lettres sur deux prétendues inscriptions étrusques. Vérone. 1728. tom. XIV. Art. I: Litanies pélasges des anciens habitans de l'Italie. 1732. tom. XVIII. Art. I: Lettre sur l'alphabet étrusque. 1733.

2) Museum Etruscum. vol. I. Florentiae. 1737. vol. II. p. 403. sqq.

3) Saggi di Dissertazioni accademiche di Cortona. vol. I. in Roma. 1742.

4) Osservazioni letterarie. tom. V. in Verona. 1739. tom. VI. 1740.

5) Lettere Gualfondiane. 1742.

6) Raccolta d'opuscoli scientifici et filologici tom. XXVI. in Venezia 1742. et: In Thomae Dempsteri libros de Etruria Regali Paralipomena. Lucae. 1767.

7) Della lingua de' primi abitatori dell' Italia. in Modena. 1772.

omnium adiunxit nec locos quibus illa exstant consignavit omnes. Ultimus, sed idem doctissimus inter italicos interpretes Ludovicus Lanzius[1]) fuit, qui operis sui de lingua etrusca totum fere tertium volumen de tabulis eugubinis conscripsit, indicemque paulo locupletiorem Passeriano adiecit. Multa rectissime is vidit et considerate in explicandis singulis locis disseruit.

Novo saeculo novum omnis linguarum scientia cepit incrementum, maxime in Germania. Agmen hic duxit O. Müllerus[2]), qui in praeclaro de Etruscis opere umbricae linguae elementa ex tabulis eugubinis enucleata primus composuit; de singularum litterarum pronunciatione et grammatica conditione egregie disseruit; novam umbricae litteraturae litteram ś vindicavit; complures declinationis et coniugationis formas explicuit et cum ceteris Italiae linguis comparavit; nomina denique deorum et animalium, nonnullaque numeralia collegit, ut linguae inde naturam exploraret.

Mihi ipsi quoque idem Müllerus, quo Gottingae dilectissimo usus sum praeceptore, auctor exstitit, ut studiorum meorum primitias hoc in monumento perscrutando ponerem[3]). Hinc ante hos octo annos dissertationem scripsi de Tabulis Eugubinis, ibique in exordio posui historiam tabularum, cuius summam in iis, quae modo legisti, repetii; deinde de litteratura Umbrorum disserui et suam huic populo propriam vindicavi; singulas litteras perlustravi earumque pronunciationem rectius, ut mihi videor, definivi; ex litteraturae ratione coniecturam feci de tempore, quo singulae tabulae inscriptae viderentur; finem feci huic primae dissertationis particulae in disquisitione de ordine tabularum rectius constituendo. Reliquam eius laboris partem hucusque nondum ad finem perducere et in publicum edere potui, aliis praereptus studiis; ma-

1) Saggio di lingua etrusca. Roma. 1789.
2) Die Etrusker. Breslau 1828.
3) De Tabulis Eugubinis. Particula prima. Berolini. 1833.

ximo vero gaudio interim vidi, duos viros doctos quae inceperam absolvenda in se recepisse.

Nam eo ipso anno quo mea commentatio, aliquanto post alia Lassenii de tabulis eugubinis edita est [1]). Is vir doctissimus, postquam luculenter demonstravit, quantum linguae umbricae cognitio ad latinam aliasque italicas melius intelligendas conferat, de tabularum locis quibusdam egit, qui facillimi ad explicandum esse videbantur. Hinc progressus singula verba verborumque formas cum latinis eiusdem vis ac significationis contulit. In ea analysi non minus amplam doctrinam ostendit quam sobrium et subactum ingenium, magnae id modestiae coniunctum. Mihi quae in eius opera requiri videbantur, in scriptione complexus sum Museo Rhenano inserta [2]).

Longe maiora molitus est G. F. Grotefendus, Lycei Hannoverani director, qui inde ab anno 1835 octo commentationes de lingua umbrica edidit [3]). Disquisitio tamen nulla quam perspicias ratione procedit et in singulis plurima non tam argumentis comprobata sunt, quam temere iacta. Omnino Grotefendus non videtur distinguere posse inter ea quae coniectura queas assequi et ea quae sciri et enucleari prorsus non possint. Unde factum, ut saepissime hoc in libro legendo Bourguetium, Lamium, Passerium potius, quam nostrae aetatis virum doctum audire tibi videaris. Eo magis autem hanc meam sententiam hic proferendam duxi, quo facilius eruditio eius haud vulgaris et acumen interdum felix, saepius nimium, obcaecare lectores minus cautos potest.

Equidem interpretis munere in iis quae adhuc de tabulis illis scripsi, consulto nondum sum functus. Frustra enim in singulis opera ponitur, nisi omnium locorum consensu et totius disquisitionis nexu probari aliquid et confirmari possit. Quapropter ego, cui per hos proximos annos parum otii ad

1) Beiträge zur Deutung der Eugubinischen Tafeln. Bonn. 1833.

2) Rheinisches Museum für Philologie. 1834.

3) Rudimenta linguae Umbricae ex inscriptionibus antiquis enodata. Hannoverae. 1835—39.

haec studia pertractanda concessum fuerit, de industria plenam monumentorum indagationem in aliud distuli tempus. Sed singulari accidit casu quod una illa, quam in relatione de Lassenii libro[1]) protuli sententia ad interpretationem spectans, tanquam falsa et perversa a Grotefendo notata est Partic. III. p. 9. Hanc certe sententiam paucis defendere est in animo.

Quae adversarius ad causam suam obtinendam posuit haec sunt. „Quum tuta Tarinate trifu, ait, sine dubio pro tota „Tarsinate tribu scriptum sit, nemo cum Lepsio putabit „in voce tota substantivum, in Iguvina adiectivum la„tere.“ His quae opponam haec habeo:

1) Urbs a Romanis Iguvium dicitur, adiectivum est Iguvinus. Causam vero non video dubitandi, num in lingua umbrica tam arcte latinae coniuncta eadem obtinuerit ratio. In verbo Ikuvina, ***Iiovina*** eandem habemus formationem, quam in ***Fisovina***, id quod derivatur a substantivo ***Fisovi***, ut ***Serfia***, ***Jovia***, Huntia a ***Serfi***, ***Jovi***, Hunte, atque ***Tefrali*** a ***Tefre*** [2]).

2) Reperimus idem verbum saepius in genere masculino Ikuvinus, ***Iiovinus***, qua in forma urbis nomen non potest non excludi; sed nuspiam deprehendes formam tutus, ***totus***, ***toto***, qualem in masculino exspectaveris, si quidem adiectivum esset.

3) Verba Ikuvina, -as, -e, ***Iiovina***, etc. semper sequuntur aliud nomen in eodem casu positum; si substantivum esset, interdum solum positum esse credideris.

4) Quod attinet ad formulas in quibus vox tuta invenitur, Grotefendus tantum verba: tuta Tarinate trifu laudat, eaque prompte interpretatur: tota Tarsinate tribu. Si ad-

---

1) Rhein. Mus. 1834. p. 196.

2) Typi ***pingues et erecti*** per totum librum voces umbricas vel oscas litteris indigenis exaratas distinguunt; typi ***pingues et inclinati*** voces designant umbricas vel oscas litteris latinis conceptas.

iecisset unam voculam quae subsequitur, interpretationis levitas neminem fugisset. Legitur enim: **tuta Tarinate, trifu Tarinate** (Tab. Eug. Iᵇ. 16. 17.). **Tuta** et **trifu** vocabula sibi hic opponi, apparet ex aliis locis, e. g.

> ***tote Tarsinate, trifo Tarsinate, Tursce, Naharce, Jabusce nomne, totar Tarsinater, trifor Tarsinater, Tuscer, Naharcer, Jabuscer nomner.*** (Tab. Eug. VIIᵃ. 11. 12.)

Idem locus repetitur in tab. Eug. VIᵇ, 58:

> ***totam Tarsinatem, trifo Tarsinatem, Tuscom, Naharcom, Jabuscom nome, totar Tarsinater, trifor Tarsinater, Tuscer, Naharcer, Jabuscer nomner.***

et tab. Eug. Iᵇ. 16. 17:

> **tuta Tarinate, trifu Tarinate, Turskum, Naharcum numem, Japuzkum numem.**

Compara etiam Tab. Eug. VIᵇ. 53. 54. VIIᵃ. 47. 48. Et si quis in eo haeserit, quod his in locis semper alia adiectiva sequuntur, quae admittere videntur, ut alterum **Tarsinater** ad vocem **nomner** referatur, eum remittimus ad tab. Eug. III, 24. 25., qui locus repetitur III, 28. 29.

> **fratrusper Atiieries, ahtisper Eikvasatis, tutaper Iiuvina, trefiper Iiuvina, tislu sevakni** etc.

i. e. pro urbe Iguvina, pro tribu Iguvina.

Iidem loci denuo comprobant, **Ikuvina** adiectivum esse, quippe quod tribus vocabulo adiicitur; (neque enim de tribu Iguvii loqui possunt, sed de tribu Iguvina; et genitivus non **Iiuvina**, sed **Iiuvinas** fingi debebat); **tuta** autem substantivum esse, quoniam praepositione enclitica **-per** augetur, quam non reperimus nisi in substantivis, **fratrusper, ahtisper, trefiper, nomneper, pupluper, ukriper, triiuper,** al.

5) Si sententiam formularum respicimus, in quibus tuta vox reperitur, creberrima haec est:

Juve Krapuvi tref buf fetu ukriper Fisiu tutaper Ikuvina

Marte Krapuvi tref buf fetu ukriper Fisiu tutaper Ikuvina

Trebe Juvie tref sif fetu ukriper Fisiu tutaper Ikuvina

Marte Hurie tref vitluf fetu pupluper tutas Iiuvinas tutaper Iiuvina

Hunte Serfi tref vitluf fetu pupluper tutas Iiuvinas tutaper Iiuvina etc.

id est: Jovi Grabovio, Marti Grabovio, etc., fito (sacrificator) tribus bubus, suibus, vitulis, etc. pro arce Fisia, pro urbe Iguvina, et pro populo urbis Iguvinae, pro urbe Iguvina. Interpretationem vocis ukri, *okri* per montem, vel arcem Lassenius iam probavit. Mons Fisius arx Iguvii fuisse videtur. Eadem formula saepissime etiam in precibus ipsis tab. Eug. VI. et VII. habetur, ubi significatio voculae -per i. e. pro etiam clarius intelligitur, quamvis O. Müllerus, et interdum [1]) etiam Grotefendus ablativi esse terminationem credant. In illis precibus subiungi solet: ***erer nomneper erar nomneper***, i. e. pro eius (arcis) nomine, pro eius (urbis) nomine, vel in alio casu: ***Di Grabovie, salvum seritu ocrem Fisim, salvam seritu totam Jovinam; Di Grabovie, salvom seritu ocrer Fisier, totar Jovinar nomem***, i. e. Jupiter Grabovie, salvam servato arcem Fisiam, urbem Iguvinam; Jupiter Grabovie, salvum servato arcis Fisiae, urbis Iguvinae nomen.

In his omnibus formulis tuta opponitur vel arci, vel tribui vel populo Iguvii, id quod satis videtur probare,

1) Part. IV. p. 24. 25.

recte huic voci urbis significationem a nobis tribui. Quum legamus de tribu Iguvina, non est verisimile populum Iguvinum exstitisse, quasi scilicet gentem peculiarem formassent Iguvini; neque igitur de populo Iguvino, sed de populo urbis Iguvinae loquuntur tabulae, i. e. de civibus urbis Iguvii, qui recte ab urbe ipsa distinguuntur in formula: pro populo urbis Iguvinae, pro urbe Iguvina. Ita in precibus Romanis domus ab iis qui insunt distinguitur, si precantur [1]): pastores pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi, domo, familiaeque nbstrae. Apparet autem parum apte dici, quod Grotefendus vult: pro populo totius Iguvii, pro toto Iguvio, vel ut alio loco [2]) vertit: pro toto Iguvio, pro tribu Iguvina, qualis oppositio ne recta quidem esset. Quid vero dicemus de formula: tuta Tarinate, trifu Tarinate? Num hic etiam vox Tarinate prima vice substantivum est, altera vice adiectivi partes tenet? Hanc difficultatem Grotefendus sensisse videtur; qua de causa seiunxit trifu a secundo Tarinate, contra sanam interpretandi rationem et contra locos quos ipse agnovit, in quibus tutaper et trefiper in tab. Eug. III. sibi opponuntur.

5) Originem uniuscuiusque vocabuli umbrici ut noverit, ab interprete nemo exiget, sed si originem nossemus latini totus, fortassis etiam umbricum tuta derivare possemus. Ambobus prima significatio universitatis vel coetus fuisse potest. Osca lingua latinum adiectivum totus non habuit, sed pro eo voce sollus usa est, ut Festus tradidit. Sed eodem, nisi fallor, vocabulo, quo Umbri, Osci quoque appellaverunt urbem. Reperimus enim in tabula Bantina saepius vocem *touto* [3]) (nomin.), *toutad* (abl.), quae mihi eandem ha-

---

1) Cato de R. R. 141. 2) Part. VII. p. 30.

3) Habuerunt enim Osci nominativum primae declinationis in -ŏ, ut iam Klenzius vidit, vel oscè scriptum in -ú. Vide infra in numis cum inscriptione Víteliú et *Italia*.

bere videtur significationem, et adiectivum ***toutiko***, ***toutikom***, vel in tabula Veliterna ***totiku***, quod, si rectum vidimus, urbanus vertendum esset. Eandem vocem cognoscere aliquis velit in appellatione summi magistratus Oscorum, quem Livius et Ennius apud Festum meddix vel medix tuticus, inscriptiones meddíss túvtíks nominant; littera enim ú osce scripta respondet in latina Oscorum litteratura vocali *ou* vel *o* [1]), in latina lingua u vel o [2]). Nihil omnino impedit, quominus meddix tuticus fuerit quasi consul urbanus; nam duos habuerunt meddices, quorum alter in inscriptionibus appellatur meddíss degetasiús.

Mittimus hic quaestionem de verbis tuta Ikuvina, et quamvis significationem vocis tuta ad liquidum nos perduxisse nequaquam affirmare velimus, id tamen, quod demonstrari posse diximus, tuta substantivum, Ikuvina adiectivum esse, demonstrasse nobis videmur.

In dispositione tabularum initium fecimus a tabulis umbrice scriptis, quippe quae sine dubio pro vetustioribus habendae sint. Diverso enim tempore scriptas esse, et ex lingua et ex scriptura evinci potest. Inter vetustiores illas tabula prima et secunda eodem tempore eademque manu scriptae sunt. Tabulae tertia et quarta inter se consimiles discrepant ab illis non dialecto linguae, sed magnitudine, manu, et quod memoratu dignius est, certarum litterarum formatione. In illis enim litterarum t et z lineolae transversae truncum secant, in his non secant. Hanc formam iuniorem esse, numi Tudertini comprobant, quorum antiquiores, ut infra videbimus, illam, iuniores hanc formam exhibent. Tabula quinta cum tabulis tertia et quarta in litterarum formis convenit, sed a quatuor prioribus non solum externa facie discrepat, sed dialecto quoque, in cuius formis magis accedit ad recentiorem dialectum tabularum latine scriptarum. Disposi-

1) Comp. pús et *pous;* pun, *pon;* pust, *post,* al.
2) Comp. Núvlanús, Nolanus; pún, quum, al.

tio igitur harum quinque tabularum in universum dubia esse non potest. Quae *primae* tabulae sit antica, quae postica, comparatione duarum latinarum idem argumentum tractantium docemur. Sed dubii haeremus in dispositione duarum paginarum *secundae* tabulae. Inscriptiones diversae sunt, characterum forma et dialectus eaedem. Verisimilius alicui videri posset, primam paginam eam esse, quae quaestoris exhibet subscriptionem, quoniam eandem in fine primae tabulae videmus; alteram paginam posterius demum inscriptam esse, quippe quae subscriptionem illam non habeat, et tantum parvam contineat inscriptionem paginae spatium ex parte solum explentem. Accedit quod in prima tabula parva foramina ad suspendendam tabulam terebrata in inferiore anticae parte et in superiore posticae conspiciuntur, unde colligendum esset, anticam secundae tabulae eam esse, quae foramina in margine inferiore habet. Nihilominus eam quam in dissertatione nostra proposueramus dispositionem, etiam hic conservavimus; res enim dubia manet et certe nullius momenti est, propterea quod ambae inscriptiones non cohaerent et si non eadem manu, uno certe eodemque tempore scriptae esse debent. Tabularum *tertiae* et *quartae* posticae non sunt inscriptae. Tabulae *quintae* postica cognoscitur ex inscriptione latinis litteris exarata quae in fine subiuncta est. Quae tabularum *sextae* et *septimae* dispositio sit ex comparatione cum prima colligitur. Nostrum igitur ordinem cum Dempsteriano collatum hunc constituimus.

Tabula nostra	I^{a}.	Dempsteri est	IV^{b}
	I^{b}		IV^{a}
	II^{a}		V^{b}
	II^{b}		V^{a}
	III		II.
	IV.		I.
	V^{a}.		III^{a}
	V^{b}.		III^{b}
	VI^{a}.		VI^{b}.
	VI^{b}.		VI^{a}.

VII^a. VII^a.
VII^b. VII^b.

Subiungimus hic inscriptiones ipsas litteris latinis transscriptas eam transscribendi secuti rationem, ut unamquamque litteram diversam diversa et peculiari sed una tantum littera redderemus. Neque enim consuetudinem fere ab omnibus receptam equidem comprobare possum, secundum quam litterae singulae quas scribimus f, ϑ, χ per litteras duplices ph, th, ch reddi solent. Eundem vero sonum in diversis alphabetis diverso modo scriptum eadem littera expressimus, diversos sonos in diversis alphabetis eadem nota redditos diversis litteris expressimus. Ita factum est, ut litteram etruscam, umbricam, oscam, quae si formam solam respexeris eadem principio fuit ac F littera latina, ideoque ab O. Müllero et ceteris omnibus per f reddebatur, v scriberemus, quoniam haec eius fuit pronunciatio; et ut ea littera, quam ph scribunt, quum f sonaret, f a nobis scriberetur. In litteratura latina c locum tenuit k litterae etruscae, umbricae, oscae, neque unquam eo modo pronunciata est, quo Europa hodierna eam pronunciat ante e vel i vocalem. Quare non dubitavimus ubique k scribere, quoniam k ubique sonabat. Maxime quidem necessarium visum est, ut tandem aliquando his in rebus malam et inveteratam consuetudinem, quae ad hunc usque diem semper novorum errorum causa est, cum nova et unice recta scribendi ratione commutaremus.

Conspectum argumenti singularum tabularum faciliorem fieri credidimus coniunctione earum inscriptionum quae revera continuae sunt, et divisione earum partium et membrorum, quae sua habent principia, quamvis in tabulis uno scripta sint tenore. Virgulae, quas posuimus, non eam quam hodie vicem gerunt, sed verba includunt quae certa aliqua ratione arctius coniuncta nobis visa sunt. Numeri interpositi archetypi lineas indicant. Litterae uncis inclusae a nobis secundum certas regulas restitutae sunt, ubi maxime necessarium videbatur; si in divisione verborum et in aliis minutis rebus interdum archetypi lectionem correximus, semper in notis id indicavimus.

Deorum nomina et precum formulas litteris uncialibus quae dicuntur distinximus; litterae erectae umbricam, inclinatae latinam exprimunt tabularum litteraturam.

Tabulae I. antica et postica.

Praecepta continentur de duodecim sacrificiis, quae a duodecim fratrum Atiersiorum collegio Iguvii duodecim diis facienda sunt. Cf. tab. VI. VII. —

Altitudo tabulae est duorum pedum et digiti dimidii mensurae rhenanae, latitudo unius pedis trium digitorum*).

Este persklum aves anzeriates enetu, 2. pernaies pusnaes.

Preveres treplanes 3. IUVE KRAPUVI tre[f] buf 1) fetu, arvia ustentu 2), 4. vatuva ferine 3) feitu, heris vinu, heri[s] puni 4), 5. ukriper Fisiu, tutaper Ikuvina, feitu sevum, 6. kutef pesnimu; ařepes arves 5).

7. Pusveres treplanes tref sif 6) kumiaf feitu 8. TREBE IUVIE, ukriper Fisiu, tutaper Ikuvina, 9. supa sumtu 7), arvia ustentu 8), puni fetu 9), 10. kutef pesnimu 10); aře[pes] arves 11).

11. Preveres tesenakes tre[f] buf 12) fetu MARTE KRAPUVI, 12. fetu ukripe[r] Fisiu, tutaper Ikuvina, arvia ustentu, 13. vatuva ferine 13)

*) Quum ectypum chartaceum et rursus exemplum lithographicum humectanda et deinceps exsiccanda charta paululum diminuatur, opus est, ut cuiusque tabulae magnitudinem litteris consignem.

1) Archetypum habet: trebuf. 2) arviaustentu 3) vatuvaferine 4) heripuni 5) ařepesarves 6) trefsif 7) supasumtu 8) arviaustentu 9) punifetu 10) kutefpesnimu 11) are arv es 12) trebuf 13) vatuvaferine

fetu, puni fetu[1], kutef pesnimu; ař[e]pes arveś.

14.Pusveres tesenakes tref sif feliuf fetu 15. FISE SAŚI[2]), ukriper Fisiu, tutaper Ikuvina, 16. puni fetu, supa sumtu, arviu ustentu, mefa 17. vestiśa ustetu, Fiiuvi fetu, ukriper Fisiu fetu, 18. kapif[3]) purtitaf sakref, etraf purtitaf, etraf 19. sakref, tutaper Ikuvina, kutef pesnimu; ařepes arves.

20.Preveres vehiies tref buf kaleřuf fetu VUFIUNE 21. KRAPUVI, ukriper Fisiu, tutaper Ikuvina, 22. vatuva ferine fetu, heri[s] vinu, heri[s] puni, 23. arviu ustentu, kutef pesnimu; ařepes arves.

24.Pusveres vehiies tref hapinaf, fetu TEFRE IUVIE, 25. ukriper Fisiu, tutaper Ikuvina, puste asiane fetu, zeřef fetu, 26. pelsana fetu, arvia ustentu, puni fetu[4]), taśez pesnim27.u; ařiper arvis.

Api habina purtiius, suřum pesuntru[m] 28. fetu, esmik veştiśam preve fiktu, Tefri Juvi fetu, ukri29.per Fisiu[5]), tutaper Ikuvina, testruku peři, kapiře peřum feit30.u.

Api[6]) ereł purtiius[7]) enuk, suřum pesuntrum feitu, staf31.li Juv[i], esmik[8]) vestiśa afiktu, ukriper Fisiu, tutaper[9]) Ikuvin32.a[10]) feitu,

---

1) punifetu 2) fisesaśi 3) kapiř 4) punifetu 5) ukriperfisiu 6) feituapi 7) eřelpurtiius 8) iuvesmik 9) fisiututaper 10) ikuvinp a. — Littera p nonnisi prima pars a litterae est, quae tota řepetebatur a scriba in principio sequentis lineae, quoniam spatium in praecedente deerat.

nertruku 1) peři, kapiře peřum feitu, puni feitu.

33. Api suřuf purtitius 2) enuk, hapinaru erus titu zeřef, 34. kumultu zeřef, kumats pesnimu.

1. Vukukum Juviu, pune, uvef, furfaϑ, tref vitluf turuf, 2. MARTE HUŘIE fetu, pupluper tutas Iiuvinas, tutaper Ikuvina!, 3. vatuva ferine fetu, puni fetu, arvia ustentu, kutep pesnimu; 4. ařepes arves.

Vukukum Kureties tref vitlup turup HUNTE ŚE[R] 5. FI 3) feitu, pupluper tutas Iiuvinas, tutaper Iiuvina, vatuva 6. ferine fetu, arvia 4) ustentu, tenzitim arveitu, heris vinu, heris 7. puni feitu, kutef persnimu; ařipes arvis.

Inukukar pihaz fust, 8. svepu esumek esunu anter vakaze vašetum ise 5), avif azeriatu 9. verufe treplanu kuvertu restef esunu feitu.

10. Pune puplum aferum heries avef anzeriatu 6) etu, pernaia 11. f pustnaiaf, pune kuvurtus, krenkatrum hatu; enumek 12. pir ahtimem ententu, pune pir entelus ahtimem; 13. enumek steplatu parfam 7) tesvam tefe tute Ikuvine 14. vapefem avieklufe kumpifiatu, vea aviekla esunume etu, 15. prinuvatu etutu perkaf habetutu punišate pune menes, 16. akeřuniamem; enumek eturstamu, tuta Tařinate, trifu 17. Tařinate, Turskum, Naharkum numem, Japuzkum

---

1) feitunertruku 2) suřufpurtitius 3) huntešefi 4) ferinefetuarvia 5) vakazevašetumise 6) anzvriatu 7) steplatuparfam.

numem, 18. svepis habe purtatutu pue meŕs est, feitu uru peŕe mers est, 19. pune prinuvatus, staheren termnesku; enumek armanu 20. kateramu Ikuvinu; enumek apretu tures et pure puni amprefu21.us persnimu; enumek etatu Ikuvinus, triiuper amprehtu, 22. triiuper pesnimu, triiuper etatu Ikuvinus; enumek 23. prinuvatus śimu etutu erahunt vea, śimu etutu prinuvatus.

24. Funtlere trif apruf rufru[f] ute peiu[f] feitu ŚERFE MARTI, 25. vatuvu ferine fetu, arviu ustentu, puni fetu [1]), 26. taśez pesnimu; aŕepe[s] arves.

27. Rupinie tre[f] [2]) purka[f] rufra[f] ute peia[f] fetu, PRESTATE 28. ŚERFIE ŚERFE[S] MARTIES, peŕaia fetu, arviu ustentu, 29. kapi sakra aitu, vesklu vetu, atru, alfu, puni fetu, 30. taśez pesnimu; aŕeper arves.

31. Tra[f] sate tref vitlaf feitu TUSE ŚERFIE ŚERFE[S] MARTIES, 32. peŕaia feitu, arvin uste[n]tu, puni fetu, taśez pesnimu; 33. aŕeper arves.

Pune purtinśus kaŕetu pufe apruf 34. fakurent puze erus teŕa, ape erus teŕust pustru 35. kupifiatu rupiname, erus teŕa ene, tra sahta kupifiaia, 36. erus teŕa enu, rupiname pustru, kuvertu antakre [3]) 37. kumate pesnimu enu, kapi sakra aitu, vesklu vetu, 38. enu satame, kuvertu antakre kumate pesnimu enu, esunu 39. purtitu fust.

---

1) feiu 2) e tre 3) ant akre

40. **Pustertiu** pane puplu ateřafust, iveka perakre Tuseiu, 41. super kumne ařfertur, prinuvatu tuf Tusetutu 42. hutra furu sehmeniar [1]) hatutu, eaf **iveka**[2]) 43. **tre aketunie fetu** TUSE JUVIE [3]), arviu uste[n]tu, 44. puni fetu [4]), peřaia fetu [5]), tašez pesnimu [6]); ařepe[s] arves.

45. Kvestre tie usaie svesu vuv šis titis teteies [7]).

Tabulae II. antica.

Praecepta ritualia decem collegiorum de duobus sacrificiis. Jovi sus, Sanco caper sacrificandus.

Magnitudine non differt a prima tabula.

Semenies [8]) tekuries, **sim**, **kaprum** upetu, tekvias 2. fameřias pumpeřias XII.

Atiieřiate, etre Atiieřiate,
3. Klaverniie, etre Klaverniie,
Kureiate, etre Kureiate,
4. Satanes, etre Satane [9])
Peieřiate, etre Peieřiate [10])
Talenate, 5. etre Talenate [11]),
Museiate, etre Museiate [12])
Juieskane, 6. etre Juieskane [13])
Kaselate, etre Kaselate [14]), tertie Kaselate [15]),
7. Peraznanie.

Teitu armune [16]) JUVE PATRE fetu **si** pera8.kne sevakne upetu, eveietu [17]), sevakne naratu, ar-

---

1) furusehmeniar 2) eafiveka 3) tuseiuvie 4) punifetu 5) peřaiafetu 6) tašezpesnimu 7) svesuvuvšistitisteteies 8) semenies 9) etresatane 10) etrep eieřiate 11) etretalenate 12) etremuseiate 13) etreiuieskanes 14) etrekaselate 15) tertiekaselate 16) teituarmune 17) upetue veietu

viu 9. ustetu, eu naratu [1], puze faśefete sevakne, heri[s] puni 10. heri[s] vinu fetu [2].

Vaputu SAŚI ampetu, k a p r u perakne [3] seva-11. kne upetu, eveietu, naratu śive ampetu, fesnere purtu12.[v]etu, ife fertu, tafle epir fertu [4], kapres pruseśetu, 13. ife aȓveitu [5], persutru vaputis, mefa vistiśa, feta fertu [6].

14. sviseve, fertu pune,
etre sviseve [7], vinu fertu [8])
tertie 15. sviseve, utur fertu [9] — pistuniru fertu [10] — vepesutra fertu — 16. mantraklu fertu — pune fertu

Pune fesnafe benus 17. k a b r u purtuvetu [11] vaputu SAŚI, IUVE PATRE [12] prepesnimu — 18. vepesutra pesnimu — veskles pesnimu [13] atrepuȓatu [14], 19. aȓpeltu, statitatu, vesklu, pustru, pestu, ranu 20. pesnimu — puni pesnimu — vinu pesnimu — une pesni-21. mu [15].

Enu erus tetu [16] vitlu vufru

Pune heries [17] 22. faśu eruhu tiślu sestu IUVE PATRE [18]

Pune seste [19] 23. urfeta manuve habetu, 24. estu iuku habetu

IUPATER, SAŚE, TEFE ESTU VITLU [20] VUFRU

---

1) eunaratu 2) herivinufetu 3) pera kne 4) epirfer tu 5) ifeaȓveitu 6) fetafertu 7) svi se ve 8) vinufertu 9) uturfertu 10) pistuniruferta 11) kabrupurtu vetu 12) iuvepatre 13) vesklespesnimu 14) atre puȓatu 15) unepesnimu 16) enuerustetu 17) puneheries 18) iuvepatre 19) puneseste 20) estuvitlu.

Sestu 25. purtifele triiuper teitu [1], triiuper vufru naratu, 26. fetu [2] IUVE PATRE [3] vušiiaper natine, fratru Atiieřiu

27. Pune anpenes, krikatru testre euze habetu, ape apel28.ust [4], mefe atentu, ape purtuvies [5] testre euze habetu 29. krikatru, arviu ustetu, puni fetu [6].

Tabulae II. postica.

Praecepta fratrum Atiersiorum de sacrificiis Jovi, Sanco, Marti et Huntae Joviae faciendis.

Pune karne, speturie Atiieřie aviekate, naraklum 2. vurtus estu, esunu [7] fetu, fratrusper Atiieřie, eu esum 3. esu naratu

Peře karne, speturie Atiieřie aviekate, 4. aiu urtu fefure fetu, puze neip eretu [8]. Vestiše SAŠE [9] 5. sakre IUVE PATRE bum perakne [10], speture perakne, restatu 6. IUVIE unu eri etu sakre [11], pelsanu fetu [12], arviu ustentu, 7. puni fetu, tašez pesnimu; ařepe[s] arves [13].

Pune purtiius [14], 8. unu suřu pesutru [15] fetu, tikamne IUVIE, kapiře 9. peřu preve fetu [16]

Ape purtiius uru [17], erus tetu, enu kuma10.ltu, kumate pesnimu [18].

Ahtu IUVI [19] uve[m] peraknem [20] 11. peřaem fetu [21], arviu ustentu, puni [22] fetu.

1) tri iuperteitu 2) feiu 3) iuvepatre 4) apeapelus 5) apepurtuvies 6) punifetu 7) estuesunu 8) puzeneiperetu 9) vestišesaše 10) iuvepatrebumperakne 11) unuerietusakre 12) pelsanufetu 13) ařepearves 14) punepurtiius 15) suřupesutru 16) prevefetu 17) purtiiusuru 18) kumatepesnimu 19) iuvip 20) uveperak nem 21) peřaemfetu 22) ustentupuni

Ahtu MARTI 1) abrum 2) 12. perakne[m] fetu, arviu ustetu, fasiu pruseśete ařveitu, 13. peřae fetu, puni fetu 3), tra ekvine 4) fetu, 14. aśetus perakne fetu.

15. HUNTIA katel tiśel stakaz est sume ustite 16. anter, menzaru śersiaru, heriiei faśiu ařfertur, avis 17. anzeriates, menzne kurślasiu faśia tiśit.

HUNTIA fertu 18. katlu, arvia, struhśla fikla, pune, vinu, śalu 5), maletu, 19. mantrahklu, veskla, snata asnata, umen fertu, pir ase 20. antentu esunu, puni feitu.

HUNTE IUVIE ampentu katlu 21. sakre sevakne, petruniaper natine fratru Atiieřiu, esunu 22. peřae futu, katles supa hahtu, sufafiaf supaf hahtu, 23. berus aplenies pruseśia kartu krematra aplenia sutent24.u, peřu śeritu 6), arvia puni purtuvitu, vestikatu ahtrepuřa25.tu, pustin anśif vinu nuvis, ahtrepuřatu, tiu puni, tiu vinu, 26. teitu, berva frehtef fertu, puře nuvime ferest krematruf 27. sumel fertu, vestiśia peřume persnihmu, katles tuva tefra, 28. terti erus prusekatu, isunt krematru prusek[a]tu, struhśla 29. fikla ařveitu, katlu purtuvitu, ampeřia persnihmu, aseśeta 30. karne persnihmu, venpersuntra 7) persnihmu, supa spantea 31. pertentu, veskles vufetes persnihmu, vestikatu ahtrepuřatu, 32. ařpeltu statitatu, su-

1) ahtumarti 2) abrunu 3) punifetu 4) ekvi ne. 5) Prima littera vocis in archetypo M scripta est. 6) Prima littera M scripta. 7) eenpersuntra

pa pustra perstu, iepru erus mani kuveitu, 33. spinamař etu tuve rekapiřus pune fertu, berva klavlaf 34. anfehtaf[1]) vesklu snatu asnatu[2]) umen fertu kapiře.

HUNTE 35. IUVIE vestikatu[3]), petruniaper[4]) natine fratru Attiieřiu, berus 36. sevaknis persnihmu, pert spinia isunt klavles persnihmu, 37. veskles snate asnates sevaknis spiniama persnihmu, vestikatu 38. ahtrepuřatu, spina umtu umne sevakni persnihmu, manfe asa[5]) 39. vutu asama kuvertu asaku vinu sevakni tašez persnihmu, 40. esuf pusme herter erus kuveitu teřtu, vinu pune teřtu, 41. struhšlas fiklas sufafias, kumaltu kapiře punes vepuřatu, 42. antakres kumates persnihmu[6]), amparihmu statita subahtu, esunu 43. purtitu futu, katel asaku pelsans futu.

44. Kvestre tie usaše svesu vuv šis teteies[7]).

Tabulae III. et IV.


Praecepta ritualia fratrum Atiersiorum de sacrificiis Puemunae Pupricae. —

ambustam ligni struem ambulantes non adurebantur. Vox *duir* ex Tab. Eug. V[b], 10 et 15. petita est; ibidem lin. 9 et 14. legis vocem *farer* et l. 12. et 17. *uef* bis repetitur, ut hic. Verba *naratu* et *poni* in tabula VI. Ligorius reperit, in qua saepius exstant, et ibidem lin. 13. etiam *di* et *erir* sunt vocabula, quorum hoc falso cum Grutero legit pro *erer* et cum *di* suo arbitrio coniunxit. In linea praecedente vidit *fos*, quod Sponius scripsit *for*, Muratorius *fou*; Ligorius fortassis *fos* scribere voluit ut in tabula Eugubina, nisi rhotacismum frequentem tabulae quintae imitatus est et vel superare studuit; restant vocabula *foufer*, *dertier*, *sirtir*, quae ex tabulae VI. vocibus *uou*, *far*, *tertiu*, *sitir* parva mutatione sibi finxisse videtur. Quae quum ita sint, iam tempus est, hunc titulum Ligorianum tandem aliquando ex libris doctorum virorum removeri et oblivioni tradi.

[5.]

(Tab. XXVIII, 2.)

ARSES VVRSES SETHLANL TEPHRAL
APE TERMNV PISEST ESTV

Multo clarius fraus ex unoquoque vocabulo huius inscriptionis elucet, quam prope etruscam urbem Cortonam in ara repertam esse dicunt. Primum edita est a Coltellinio [1]), deinde ab Orellio [2]), qui etruscam nominant, ultimo loco a Grotefendo [3]), qui Umbris vindicavit et ita interpretatus est: Incendia vertas! Vulcanal, Tefrale, quando igni piamen est, istud scil. sit piaculum.

Omnis inscriptio inepta est et imperita conglutinatio verborum etruscorum et umbricorum, et aeque ab utriusque lin-

1) Sopra un' ara etrusca con iscrizione finora inedita. Roma 1790.

2) Inscr. sel. No. 1384. Laudat is etiam Münter: Det K. Danske vidensk. Selskabs. Afhandlinger. Kiobenhavn. 1823. tom. I. p. 3.

3) Part. I. p. 22. No. III. Part. II. p. 24. Part. III. p. 22. 23.

guae natura abhorret. Verba *arses vurses* Etruscam illam incendiorum deprecationem a Plinio, Paulo Diacono, al. laudatam arse verse i. e. verte ignem in memoriam reducere debere apertum est. Pro Etrusco etiam verbum *Sethlanl* datur; at Vulcani notum Etruscorum nomen erat Seϑlans; inscriptio scilicet prius ficta erat quam Lanzius demonstraverat, ultimam huius vocis litteram s esse; quare fraudator, qui sine dubio Sethlanm legit, huic formae nimis incommodae alteram haud multo aptiorem *Sethlanl* praetulit, quum diu iam innotuisset -l terminationem frequentem in inscriptionibus etruscis inveniri; qua de causa eandem terminationem repetiit in voce *tephral*. Eo usque etrusca auctoris doctrina eum duxit. Illo autem tempore et ipsi quoque Lanzio tabulae Eugubinae celeberrimum erant monumentum etruscum. Itaque non est mirum, quod nunc voces umbricas etruscum agmen excipere vides. Iam vox *Tephral*, si terminationem excipis, eugubina est; sed in latine scribendo vocabulo gravissime peccavit auctor in eo quod litteram 8 verbi Tefra non ut debebat per f, sed ut nostrates facere solent, per ph reddidit, quam compositionem consonantium Romani serius demum in graecis vocabulis scripserunt, pro φ graeco. Ipsae tabulae Eugubinae latine scriptae monstrare poterant turpem illum errorem, quum deam illam *Tefre* cum f scriberent. Sequuntur vocabula: *ape termnu pisest estu*, quae Eugubina *ape*, *termnuko*, *pisest esto* (estu) imitantur, et fere omnia in postica tabulae VI. reperiuntur, ubi etiam *ape termnome* eodem ordine se excipiunt. Nihilominus auctor fraudis etruscam, non umbricam componere voluit inscriptionem, id quod apparet ex loco ubi repertam esse finxit; etruscam enim indicavit urbem Cortonam.

INSCRIPTIONES OSCAE.

1. Cippus Abellanus.

(Tab. XXI.)

A n t i c a.

Maniúí vestirikiíúí mai sir . . 2. prupukid sverrunei kvaístu3.rei Abellanúí.

Íním maniúí 4. íúvkiíúí mai pukalatúí 5. medíkeí deketasiúí Núvla 6. núí, íním lígatúís Abellan[úís], 7. íním lígatúís Núvlanúís . . 8. pús senateís tanginúd . . . 9. suveís pútúrúspíd lígat . . . 10. fufans ekss kúmbened.

11. Sakaraklúm Herekleís . . . 12. slaagid púdíst, íním teer . . . 13. púd úpeízúd sakaraklú . . . 14. púd anter teremníss eh . . . 15. íst paí teremenniú mú . . . 16. tanginúd prúf vúseí r . . . 17. amnúd puv ídík sakara . . ., 18. íním ídík terúm múíní[k] . . . . 19. múíníkeí tereí fusíd 20. eíseís sakarakleís í . . . . 21. tereís frúktatiuf fr . . . . . . 22. . . . . múíníkú pútúrú . . . . . 23. . . . . . id avt Núvlanum . . . . . 24. . . . Herekleís fíísn . . . 25. . . . iispíd Núvlan . . . . 26. . . . . ipviaist . . . .

P o s t i c a.

27. Ekkum . . . . 28. tríibarakavum . . . . 29. liimítú . . iermúm . . . . . 30. Herekleís fíísname fí . . 31. íst ehtrad feíhúss pús 32. Herekleís fíísnam amfr33.etaert víam pússtíst

33. paí íp íst púst in slagím senateís suveís tangi-36.núd tríbarakavum lí37.kítud.

Íním íúk tríba38.rakkiuf pam Núvlanús tríbarakat tuset, íním 40. úíttiuf Núvlanum estud.

41. Ekkum svaí píd Abellanús 42. tríbarakat tuset íúk trí43.barakkiuf, íním úíttiuf 44. Abellanum estud,

avt 45. púst feíhúís pús físnam am46.fret eíseí tereí nep Abel47.lanús nep Núvlanús pídum 48. tríbarakat tíns,

avt the49.savrúm púd eseí tereí íst 50. pún patensíns múíníkad ta[n]-51.ginúd patensíns, íním píd e . . 52. thesavreí pukkaaíd eh . . . 53. . íttum alttram alttr . . 54. . erríns,

avt anter slagím 55. [A]bellanam, íním Núvlanam 56. . úllad víú uruvú íst tedúr 57. . ísaí víaí mefiaí teremen58.niústaíet.

Monumentum maxime conspicuum inter ea quae Oscam exhibent litteraturam hic cippus est, sub exitum saeculi decimi septimi in ruderibus antiqui castelli Abellae urbis repertus. Eius altitudo est quinque pedum 11 digitorum cum dimidio, latitudo unius pedis 11 digitorum, maxima crassitudo 11 digitorum Constat ex lapide calcario valde duro, quem *pietra di Sarno* dicunt.

Primo quidem tam parvi aestimatus est is cippus, ut per longum tempus in multo deteriorem relegaretur locum quam antea sub terra habuerat; liminis enim vices gerebat, ita ut praecipue superior pars valde contereretur. Anno demum 1745. *Remondinius* animum advertit ad hunc lapidem et effecit, ut ex illo loco motus a. 1750 in seminario episcopali Nolae poneretur. Ibi quoque diu angulum obscurum et importunum tenuerat, ita ut Blumius ne vidisse quidem eum

videatur quum in Itinere Italico [1]), ubi de Nola refert non commemoret, usquedum ante paucos annos commode et in clara luce ita est collocatus, ut nos etum a. 1837 vidimus. Tunc rumor erat, a Papa veniam petitam esse, ut hoc insigne monumentum in Museum Neapolitanum transferretur.

Inscriptionem Remondinius [2]) cum Gorio, Gorius cum Passerio communicavit, qui primus eam evulgavit et interpretatus est [3]). Haec dissertatio et relatio de ea instituta in quibusdam ephemeridibus [4]), quae tunc iniusta videbatur, postea iterum edita est cum nova relatione et additamentis Passerii, atque cum praefatione et adnotationibus Remondinii, qui etiam novam tabulam incisam adiecit [5]). Secuta est Lanzii editio [6]) qui inscriptionem litteris exhibuit latinis et nonnulla explicavit. Anno 1836 ab homine quodam iocoso denuo editus est titulus litteris oscis et latinis, adspersa interpretatione scurrili [7]).

Remondinius inscriptionem omnibus erroribus liberam a se exhiberi credebat [8]); quamquam ipse adeo scurra iste Neapolitanus nonnullos errores corrigendos vidit. Nihilominus vel

---

1) tom. III. p. 87.

2) Storia Nolana tom. III.

3) Memorie della Società Colombaria Fiorentina vol. II. Livorno 1752. Secundum Lanzium (Saggio ed. II. tom. II. p. 527.) et Grotefendum (Rud. Lingua Oscae p. 35.) inscriptio in primo tomo Symbolorum Gorianorum edita est, deinde Genuae, et a. 1774. Romae. Symbola Litteraria Gorii continent in primo tomo (Florentiae 1748. 8°.) scriptionem Passerii de mensa sacra Herculani (vide infra), sed nihil de lapide Abellano. Lanzium potius illas „Memorie della Soc. Colomb." in mente habuisse apparet; editio Genuensis est dissertatio Remondinii, de qua statim dicemus, et quae Romae 1774 denuo edita esse videtur.

4) Giornale di Trevoux. Pesaro. 1753. Agosto.

5) Gianstefano Remondini, Dissertazione etc. Genova. 1760. fol.

6) Saggio ed. II. tom. II. p. 526. sqq.

7) Giornale di Geronta Sebezio 1836. No. XXII.

8) „La pietra originale sempre avanti e con tutta la maggior' attenzione studio e diligenza". Diss. p. 57.

in hac editione inter 980. litteras cippi 245. aut falso aut omnino non exhibitae sunt. Apparet, quanta obscuritate verae lectionis studium huius inscriptionis impeditum fuerit, et quomodo ipse O. Müllerus duas litteras alphabeti Osci maximi momenti d et g omnino ignorare atque diversitatem inter u et ú et inter i et í negligere potuerit. Klenzii quoque de hac inscriptione disquisitiones eandem ob causam nunquam incrementum capere potuerunt laetius, ut ex schedis eius relictis apparet.

Grotefendus[1]) autem, qui pessimam Passerii secutus est et denuo evulgavit editionem, ad unam omnes explicat voces totius inscriptionis. Exemplum huius interpretationis proferam in quatuor primis lineis quas pro initio totius monumenti habuit et quarum prima unum, secunda unum, tertia duo, quarta tria exhibuit verba vel verborum fragmenta. Hoc initium uno tenore legit et sic interpretatus est:

Ekkoma triibalakae liimitel Herecleis
Qua ex parte tribulosae (terrae) limes Herculis
fiisno mefi ist.
ficeto medius est.

Et nunc compara sis initium posticae, quale nos ex monumento ipso dedimus.

Ultimus nominandus est Guarinius[2]) qui a. 1839 peculiarem librum scripsit de hoc monumento et interpretationem adiecit, quam ipse quidem divinationem nuncupat.

Ordinem duorum laterum cippi convertimus contra opinionem eorum qui ante nos eum ediderunt. Finis anticae nostrae abruptus quidem est; sed duas habemus rationes ad ordinem nostrum comprobandum; primam eam, quod in postica finem videmus certissimum et spatium sufficiens ad incipiendam novam inscriptionem; alteram quam petimus ex litteris ligatis. In antica enim litterae ligatae rarissimae sunt; non ultra novem omnino exstant; in posticae quoque principio

1) Rudimenta linguae Oscae. p. 41.
2) In cippum Osco-Abellanum divinatio. Neapoli. 1839.

lin. 27. ad 38. nullae sunt; a linea duodecima (38.) multo plures reperiuntur, ita ut in 12. lineis sequentibus (38—49) 30. insint et in ultimis octo (50—57) 32. Elucet inde, scribam in media pagina secunda timuisse, ne spatium deesset ad totum textum consignandum, ideoque scripturam magis pressisse et ligatarum inter se litterarum numerum auxisse.

Argumentum inscriptionis ad pactum pertinet inter vicinas urbes Abellam et Nolam. Probabile est, Nolae alterum exemplum eiusdem argumenti collocatum fuisse, quum hoc quidem ad Abellam pertinuerit, id quod non tantum loco probatur ubi repertum est, sed ex eo quoque colligi potest, quod quando in inscriptione Abella et Nola una nominantur, Abella semper praecedit [1]). In principio anticae quaestor Abellanus legitur, cuius nomine sine dubio pactum firmatum erat, et deinde in loco aequali medix degetasius Nolanus.

Tituli muris Pompeianis inscripti.

Pompeiis inscriptiones oscae ab iis quibus custodia antiquitatum commissa est plane negliguntur et ubi exstent ignoratur. Nemo, ne viri docti quidem Neapolitani, curat, ut inscriptiones oscae, quando primum deteguntur et vivido adhuc colore conspiciuntur, notentur et colligantur; nihil adhibetur ad eas conservandas. Quare paucissimae illae quae adhuc exstant ex parte tantum nec sine difficultate leguntur. Eae denuo quasi in muris detegendae sunt et spongio humectandae, ut scripturae rubeus color quo pictae sunt, aliquanto vividior fiat et facilius legatur. Antiquissimae quaeque inscriptiones oscae sunt saepissime tectorio obductae ad recentiores latinas excipiendas, quarum duas epochas etiam nunc distinguere licet secundum litterarum formas. Domus Pompeianae titulis oscis inscriptae fere semper ex topho lapide constructae sunt et antiquiorem prae se ferunt speciem [2]).

1) Comp. lin. 6 et 7; 46 et 47; 55.

2) Domus recentiores romani temporis plerumque ex opere late-

2.

(Tab. XXII.)

Eksuk amvíanud eítuns
anter tiurrí XII iní ver
sarínu puf faamat
Mr. Aadíriis V.

Hic titulus in domo exstat quae vel Sallustii dicitur, quod id nomen latine scriptum in muro reperiebatur, vel Actaeonis a pictura quadam. Haec domus tres habet portas quatuor pilis formatas. Eae pilae quarum duae mediae latitudinem 5 pedum et 9 digitorum habent, duae in lateribus angustiores sunt, ex topho duro et purpureo constructae sunt; singuli lapides, quorum altitudo duos pedes excedit, totam explent latitudinem pilarum, et sine mortario se excipiunt; iuncturae subtiles sunt et anguli ubi se tangunt paululum obtusi ne praefringerentur, qua ex re colligere possumus muros, quando exstruebantur, nudos relinqui debuisse. Domus Sallustii inter primas fuit reliquias Pompeiis detectas.

Inscriptio de qua agimus in pila dextra portae mediae exstat et primum a Rosinio[1]) edita est; deinde cum explicatione a Guarinio[2]); repetita est ab Jorio[3]), et anno sequente denuo tractata a Guarinio[4]); exhibuit eandem etiam Gellius[5]) et secundum hunc ultimus Grotefendus[6]), explicatione adiecta.

Ubi diversam dedi lectionem fidem obligare possum. In

---

ritio consistunt; paucissimae ex lapide calcario a Sarno dicto constructae ipsis tophicis antiquiores videntur esse; muri urbis et capitula templi Herculis ex eodem lapide confecta sunt.

1) Dissert. isagog. ad Herculan. voll. explanat. Neapoli. 1797. P. I. tab. III.

2) Commentarium XI. p. 24. (1830.)

3) De Jorio, Guida di Pompei 1836. tab. V. No. 1.

4) Fasti duumvirali di Pompei. 1837. p. 21.

5) W. Gell, Pompeiana. London. 1832. vol. II. Append. p. 206.

6) Rudimenta Linguae Oscae. p. 30. tab. II.

secundi versus verbo íní in prima littera i qualis nunc existit nullum lineolae vestigium explorare potui; in fine secundi versus littera r angulum pilae tangit, nec spatium relinquit quod sufficiat ad u litteram restituendam (conf. infra No. 4). In Aadíriis ultima i lineola caret.

3.

(Tab. XXII.)

L. UB . . . . N

IR . N . EA . . . . ERK

Haec inscriptionis frustula in pila ad sinistram portae mediae posita eiusdem domus conspiciuntur. Pars sinistra fortasse aliquando integrior legetur, quum subtile calcis tectorium quod adhuc inductum est et nomen habet C. SALLVS(TIVS), de quo supra, sublatum fuerit. Secundum multo crassius tectorium totam pilam texerat, cuius paucissima tantum restant vestigia in parte superiore.

4.

(Tab. XXII.)

Eksuk amvianud eit
anter tiurrí XII. íní
verusarí nu puf
faamat Mr. Aadiriís V.

Exstat haec inscriptio in domo Pansae quae dicitur in platea Fontis (strada della Fontana), ubi ea angulum format cum alia platea (vicolo dietro la casa di Pansa). Sex pilae ex topho constructae in domus fronte conspiciuntur, quarum duae titulos oscos portant; secunda a parte dextra eum exhibet, de quo agimus, prorsus eiusdem argumenti cuius est titulus domui Sallustii inscriptus, quare maximi momenti est ad comparationem instituendam.

A nullo adhuc, quod sciam, edita est inscriptio.

In primo versu inter n et u nulla unquam littera posita

fuit, sed scriba lapidis maculam transiit. Syllabae uns, quam exspectaveris secundum alterum inscriptionis exemplum, nullum exstat vestigium; lineola litterae i in principio verbi íní maxime est conspicua; in tertio versu u littera cum i ab ipso scriba commutata, sed i litterae lineola perperam omissa esse videtur.

5.

(Tab. XXII.)

M. P. Kiípiís

In pila angulari eiusdem domus M littera inscripta est, altitudinis 6. digitorum. Sinistrorsum reliqua sequitur inscriptio dimidio minoribus exhibita litteris, et eo modo ut lapidis planities in qua scripta est paululum recedat. Bis a Guarinio[1]), semel a Gellio[2]), ultimo loco a Grotefendo[3]) edita est, sed nuspiam diversae i litterae distinctae sunt, neque peculiaris positio M litterae, quae omnino non videtur ad reliquam inscriptionem pertinere. Latinus titulus hic quoque infra adiectus et postea tota superficies crasso tectorio obducta est, quod maxima ex parte nunc decidit et anteriores inscriptiones denuo conspicuas fecit.

De gente Cipia Pompeiana vide Guarinium in Fastis Duumviralibus p. 27.

6.

(Tab. XXII.)

Mr. perkren

. . . .

. . . .

. . labiku niel

. . seís aphinis

altínûm

Exscripsimus hunc titulum de pila ex topho exstructa

1) Commentar. IX. p. 17. Fasti duumvir. p. 22.

2) Pompeiana. p. 144.

3) Rud. L. O. p. 70. tab. II.

quae pertinet ad domum scolae Vernae dictam in platea Fontis prope forum. Constat haec pila e sex lapidibus, in quorum secundo superne numerato incipit inscriptio; secundus versus prorsus calce oblitus est, sed ita ut fortassis ferro acuto etiamnunc purgari possit; tertii versus ne vestigium quidem conspicitur et dubium est, utrum omnino exstiterit tertius, an nova inscriptio incipiat in tertio lapide, cuius principium fractum et nunc opere lateritio impletum est. Sub Osca inscriptione magnae litterae latinae adiectae sunt.

Duas huius tituli descriptiones Gellius [1]) dedit, sed ita ut vix archetypon hic agnoscas. Nihilominus Grotefendo [2]) fundamentum praebuerunt ad restaurationem et integram interpretationem efficiendam. Neque vero melius titulum descripsit Guarinius [3]).

7.

(Tab. XXII.)

u. ti. iuvmunr
m. a. Herenni
IIII. n. d. endeiú

Exstat in domo Francisci II. Austriae imperatoris, quae a. 1819 effossa est, et versus plateam theatri quinque magnas pilas habet ex topho factas. In prima pila haec est inscriptio, cuius litterae, maxime in primo versu, aliis lineis antiquioris fortasse vel mutatae inscriptionis mixtae conspiciuntur.

Compares, si otiaris, vitiosas descriptiones Guarinii [4]) et Micalii [5]).

Herennii nomen in latinis quoque monumentis Pompeianis reperitur [6]), et in altero osco, de quo cf. infra No. 18.

1) Pomp. p. 3. 4.
2) Rud. L. O. p. 29.
3) Comm. IX. p. 17. No. 2. Fasti duumv. p. 22. No. 7.
4) Comm. IX. p. 28. No. 3. Fasti duumv. p. 21. No. 8.
5) fol. CXX. No. 5.
6) Vide Guarin. Comm. XII. p. 69.

8.

. . emens. Meliíssaií . . .

Huius inscriptionis quae restant adhuc in domo Pomponii dicta in platea Mercurii summa diligentia in tabula nostra depicta habes; reliqua restauravi secundum antiquiores descriptiones. Unicum quod noverim inscriptionis exemplum est, quod calcis tectorio inscriptum sit; qua de causa post breve tempus omnino evanuerit, ut iam nunc magna ex parte decidit. Infra olim legebatur C. MELISSAIVM latinis litteris scriptum, quod nomen doctissimo Avellinio [1]) causam praebuit ad restaurandam oscam inscriptionem: Klemens Melissaei.

Descripserunt Gellius [2]), Guarinius [3]), Micalius [4]), Grotefendus [5]).

Melissaei nomen Pompeiis usitatum reperio apud Guarinium saepius [6]).

9.

(Tab. XXII.)

Domus Pomponii e duabus postea una facta esse videtur; superficies enim muri non eadem est, sed dimidia paululum recedit, ita ut duo muri contigui videantur. In muro sinistro eam vides quam sub No. 9. notavimus inscriptionem eadem a solo altitudine et ipsam quoque in tectorio pictam; qua de causa suspicari licet eam praecedentis inscriptionis continuationem fuisse. Muri huius domus non ex lapidibus quadratis consistunt, sed antae duarum portarum ex lapide Sarni factae sunt. Sinistrorsum a porta sinistrae domus magnis litteris latinis legitur POMPONIVS.

---

1) Bullett. dell' Inst. Archeol. 1832.
2) Pomp. vol. II. p. 187.
3) De' Consoli voluti municipali. p. 39.
4) tab. CXX. No. 5.
5) Rud. L. O. p. 29. tab. II.
6) Comm. VI. p. 36. sqq. Fasti duumvir. p. 89. sqq.

10.

Hoc tituli osci fragmentum descripsi ex domo angulari plateae theatri, quae quinque pilas ex topho factas in fronte habet. In primae pilae secundo lapide latina exstat inscriptio, et infra in tertio lapide vestigia antiquioris cuiusdam; dein sequitur osca quam exhibemus inscriptio. In lapide tertio pilae secundae titulus legitur latinus et infra duo fuerunt versus osci qui nunc quidem legi amplius non possunt.

11.

(Tab. XXII.)

In domo Medusae, sinistrorsum a porta in tectorio..

Inscriptiones lapidibus insculptae.

12.

(Tab. XXXIII.)

Ni. Trebiis Tr. med. túv. aamanaffed

Titulus a. 1796 in epistylio parvi templi quod bidental nuncupant Pompeiis repertus est. Lapis incurvus et eius generis est, quod a colore peperino dicitur; nunc Neapoli in atrio inscriptionum Musei Regii adservatur. Inaequalitas litterarum qualem in nostra tabula deprehendes ex archetypo accuratissime repetita est. Saepissime iam ante nos inscriptio evulgata est[1]).

Nomen gentile Trebiorum in latinis quoque inscriptionibus occurrit[2]). Praenomen Ni. integrum habemus infra in

---

1) Comte de Clarac, Pompéi p. 82.; Rosini, Diss. Isagog. cap. XIII. p. 88. et tab. XIX.; Mazois, Ruines de Pomp. tab. XXXVI.; Finati, Catal. del Mus. Borb. tom. III. p. 5.; de Jorio, Guida di Pompei tab. IV. No. 4. p. 81.; Guarini, Comm. IX. No. 3. Fasti duumv. p. 21. No. 4.; Orelli, Inscr. sel. vol. II. No. 3804.; Grotefend, Rud. L. O. p. 25. tab. II. Comp. Romanelli, Viaggio a Pompei, tom. I., 1831. p. 153.

2) Guarini, Fasti duumv. p. 56.

tab. XXVII, 36., ubi Niumeriis legitur, id est latine Numerius. Tr. patris est praenomen, quod ab Oscis adiici solebat sine filii indicatione. Nullum novi latinum praenomen ab his litteris incipiens. Alterum huius compendii exemplum infra videbis tab. XXVII, 35.

13.

(Tab. XXIII.)

V. Aadirans V. eítiuvam paam
vereiiaí Púmpaiianaí trístaa
mentud deded eísak eítiuvad
V. Viínikiís Mr. kvaísstur Púmp
aiians trííbúm ekak kúmben
nieís tanginúd úpsannam
deded ísídum prúfatted

Haec insignis tabula ex lapide calcario a. 1797 in domo quam tribunale dicunt prope murum Isidis aedibus contiguum reperta est; longitudo est 2 pedum 5 digitorum, latitudo 1 p. et 3 d. cum dimidio. Edita est ab Iorio[1]), Micalio[2]), Guarinio[3]), Gellio[4]); Grotefendus[5]) descriptionem Gellii praetulit, quoniam Micalii litterarum formae nitidiores quam veriores ipsi visae sunt; in eo tamen falsus est; rudiores enim Gellii litterae currenti eius calamo imputandae sunt, non sculptori, qui nitidissimas eas exhibuit, quales in nostra tabula conspicis.

V. littera aliud praenomen oscum indicat quod Romanis alienum fuisse videtur. Mr. fortasse latino Marco respondet[6]), nisi Marai nomen praefers[7]); nam Guarinii sententia

1) Guida di Pomp. tav. IV. No. 5. p. 85.
2) tab. CXX. No. 4.
3) Comm. XI. p. 9. Fasti duumv. p. 22. No. 9.
4) Pomp. p. 199.
5) Rud. L. O. p. 27. 28. tab. II.
6) Cf. supra inscr. 2. 4. 6.
7) Vide infra inscr. 38.

qui pro compendio verbi **medix** habet omnino litteratura osca rectius cognita reprobatur. In ultimo vocabulo punctum notandum est, quod inter praepositionem et verbum cui praefixa est, positum est.

14.

(Tab. XXIII.)

.... puriís .....
... [k[vaísstu[r] .....
.... mparak .....
. [ta]ngin. aamanaf[fed]

Inscriptionis fragmentum a. 1831. Pompeiis, una cum No. ., in domo Fauni vel magni musaici, repertum, nunc in conclavi Musei Neapolitani quod dicitur „sala del controloro" adservatur. Litterae uncis inclusae ex aliis titulis facile supplentur. Ediderunt multi [1]).

15.

(Tab. XXIII.)

... [k]vaísstur
... [t]anginud
... u deded
... ekhad
... [prufa]tted

Hoc fragmentum tabulae nitidissime inscriptae ex lapide calcario Sarni Pompeiis detectum est, et nunc in Museo Neapolitano adservatur inter alia inscriptionum fragmenta nondum ordine disposita. Litterae, quae rubro colore distinctae fuerunt, in sinistra lapidis parte integrae sunt.

Primum a nobis editur monumentum.

1) **Mazois**, Ruines de Pomp. tab. XXXVI. **Clarac**, Pompéi p. 84. **Avellino**, Mus. Borb. vol. VII. 1831. p. 16. **Minervini**, tav. CXX. No. 9. **Guarini**, Fasti duumv. p. 21. No. 5.

16.

(Tab. XXIII.)

P. Mat........
aídi........
teremnaí......
.mens víu pat...

Tria fragmenta inscriptionis ex eodem lapide factae, et margine inclusae, primum a nobis suo ordine composita. Diversis temporibus detecta diversis adhuc locis in Museo Neapolitano adservantur. Pars media prima exstitit et antea ad collectionem Farnesianam pertinuisse dicitur [1]; nunc basi cuidam iniuncta, et numero XXVII. notata est. Reliquae duae partes a. 1836 Pompeiis detectae sunt.

17.

(Tab. XXIV.)

a. L. Slabiis L. Aukíl meddíss túvtíks
Herentateí Herukinaí prúffed

b. Herentateís sum.

Mensa sacra ex lapide calcario durissimo formata, Herculani reperta, nunc Neapoli in atrio inscriptionum collocata est. Nonnullae partes lapidis, sed quae inscriptiones non tangunt, instauratae sunt. Longitudo 3 pedum 10 digitorum, cum dimidio, latitudo 2 pedum et digiti dimidii est. Finatius qui accuratissime eam verbis descripsit, dicit, hanc mensam sustineri duobus pedibus ex albo marmore factis et triglyphorum instar striatis [2]. Nihil huiusmodi in Museo vidi, sed unus horum pedum, nisi fallor, ille ipse est, de quo infra sub No. 19. dicemus.

Inscriptio prior in abaco unius lateris longioris posita

1) Finati Catal. Mus. Borb. tom. III. P. I. p. 36. No. 27.

2) Mus. Borb. tom. III. p. 1: „sostenuta da due piedi di marmo bianco conformati a guisa di due mensole scannelate al davanti.“

est, altera in media tabula. Saepissime ambae editae et explicatae sunt[1]), sed quamvis nitidissime sculptae sint, nunquam sine erroribus, id quod comparatione cum nostra tabula apparet. Punctum inter L et Aukíl clare conspicitur, et pro Herentaten archetypon Herentateí habet.

18.

(Tab. XXIV.)

. . umiís Heírennís niumsieís ka
perkens Gaaviis perkedne
meddíss degetasiús araget

Titulus in lapide calcario travertino Nolae 1792 repertus, Neapoli adservatus, altitudinis paulo maioris quam 7 digitorum et longitudinis 2 pedum et 9 digitorum[2]).

Editus est a Guarinio[3]), a Raoul-Rochettio[4]) et secundum hunc a Grotefendo[5]), sed ita ut vix credas eandem esse inscriptionem ac nostram. Plerique errores inde exorti sunt, quod editores non viderunt, litteras sculptas nostris diebus denuo pictas esse, et quidem summa cum negligentia et contra morem antiquum colore nigro. Ita factum est, ut frequentes virorum doctorum hac de inscriptione disquisitiones[6]) pessimo nitantur fundamento.

De familia Herenniorum vide supra sub No. 7. Meddix

1) Mazocchi, Addit. ad Voss. Etym. in voce tuticus; Passeri, Symbol. Gorii. Florent. vol. I.; Remondini; Lanzi, Saggio vol. II. p. 608. ed. 1. (522. ed. II.) Rosini, Diss. Isag. P. I. c. VI. p. 38. 39. Finati, l. l.; Guarini, Comm. XI. No. 4. Fasti duumv. p. 21. No. 2. Grotefend, Rud. L. O. tab. II. p. 24.

2) Cf. Finati, Catal. del Mus. Borb. vol. III. p. 36.

3) Comm. XI. p. 31.

4) Monum. inédits pl. LXIII.

5) Rud. L. O. p. 34. tab. II.

6) Cf. Welcker, Rhein. Mus. vol. III. p. 611. O. Müller, Götting. Gel. Anzeigen 1834. p. 173. Gerhard, Annali dell' Inst. Archeol. 1837. P. II. III. p. 123.

degetasius, quem etiam in cippo Abellano legimus et infra in inscriptione Nolana No. 38., distinguebatur ab altero tutico dicto, quem scriptores quoque nominant et inscriptiones confirmant. Ultimum vocabulum suppleri potest aragetud ex comparatione inscriptionis No. 38.

Raoul-Rochettius et omnes qui secuti sunt, hanc inscriptionem pertinere crediderunt ad monumentum sepulcrale, quod in ea per aliquod tempus collocatum fuit. Haec vero positio prorsus erat arbitraria et nuperrime a Musei directore mutata est. Inscriptio Nolae reperta olim collectioni Vivenzianae adnumerabatur, cippus sepulcralis ex collectione Borgiana accessit; illa ex lapide travertino, hic ex marmore constat.

19.

(Tab. XXIV.)

Mitame
tiis. nih
fímlups

Pes mensae ex marmore albo factus et a principe Neapolitano S. Georgio Spinellio, qui adhuc eum possidet, a. 1832 emptus. Ipse possessor mihi dixit, olim ad collectionem administri regii Zurlii pertinuisse, qui ex Samnio acquisivisset. At mirum quantum hoc monumentum convenit cum descriptione duorum pedum ex marmore albo factorum, quos supra (No. 17.) diximus cum mensa sacra Pompeiana coniunctos fuisse, secundum ea quae legimus apud Finatium, Musei regii olim directorem. Relinquimus iudicium iis qui oculis usurpare possunt.

Altitudo est duorum pedum, trium digitorum, latitudo 4 d., crassitudo 1 pedis et fere 6 digitorum.

Guarinius[1]) edidit et legit

1) Comm. XII. p. 34.

Mitl. md explicavit: Mutulum Mar-
mz. mih tis me
phak. lupz fecit Lupus.

Litterarum formatio multum differt ab ea, quam observare licet in mensa sacra, et certam inaequalitatem prae se fert, quae in tabula nostra non satis expressa est. Non mirabor, si aliquando rationes repertae fuerint, quae probent, inscriptionem falsam esse; hucusque species externa ad hanc suspicionem movendam non sufficit.

20.

(Tab. XXIV.)

V. Púpidiis V.
med. túv.
aamanaffed
Ísídu
prúfatted

Haec inscriptio prope caput muliebre, quod Isidis credebant, supra portam Isidis vel Sarni, cuius verticem formavit Pompeiis a. 1813 reperta est. Relationem in ephemeridibus francogallis tum Neapoli editis [1]) fecit comes Claracius, qui postea etiam libellum singularem de monumentis antiquis per Francogallos e terrae gremio protractis conscripsit [2]), et inter alia etiam hoc monumentum in tabula exhibendum curavit. Hic libellus rarissimus nunquam in commercium venit et nostrae inde tabulae descriptionem habuimus, quae decimam partem magnitudinis archetypi exhibet. Etenim monumentum ipsum prorsus evanuit. Neapoli rumor erat, Parisios transportatum fuisse, id quod nunquam factum esse comes Claracius mihi litteris affirmavit. Secundum eum tabula ex marmore albo facta erat, porta ipsa et caput muliebre ex

1) Journal Français de Naples le 4. 5. 6. 7. avril et 1. mai 1813.
2) Titulus est Pompéi, Naples. sine alia indicatione.

topho. Tabula fracta est, verba sunt integra. Murum urbis prope portam terrae motu a. 63 ante nostram aeram ruptum et postea instauratum esse Claracius opinatur.

Mazoisius[1]) iterum edidit monumentum et inscriptionem omnino non ad portam pertinuisse, sed postea instauratione aliqua facta hic fortuito collocatam esse putat, id quod confirmari videtur eo quod tabula fracta reperiebatur. Denique secundum illas editiones repetierunt inscriptionem Guarinius[2]), Gellius[3]), Micalius[4]), Orellius[5]).

Ultimam i litteram in verbo Púpidiis lineola auctam fuisse verisimile est. Gentem Popidiorum Neapolitanis saepius commemoratur in monumentis[6]). Guarinius[7]) etiam inscriptionem exhibet, in qua praenomen V. cum Popidii cuiusdam nomine coniunctum est, ut in osco nostro titulo, et compendium esse ille opinatur praenominis latini Quintus[8]). Sed hic ipse titulus oscus, et plures alii[9]), prorsus reprobant hanc opinionem; neque vero magis consentire possumus cum eodem Guarinio, si alibi[10]) dicit, hanc oscam litteram illis in locis pro c adhibitam esse.

21.

(Tab. XXIV.)

Fluusaí

In parva ara fracta legitur, quae a. 1831 cum inscri-

---

1) P. I. pl. XXXVII. fig. II. p. 53.
2) Comm. XI. p. 20. Fasti duumv. p. 21.
3) Pomp. p. 85.
4) Tab. CXX. No. 3.
5) Inscr. sel. vol. II. No. 3804.
6) Orelli, No. 2556. 2557. Guarini, Valore della cifra saxo. Napoli. 1836. p. 37. sqq.
7) l. l. p. 38.
8) Cf. Comm. VI. p. 18.
9) Cf. supra No. 4. et 13.
10) Fasti duumv. p. 24.

ptione No. 14. in domo Fauni Pompeiis reperta est. Ediderunt Avellinius[1]), Micalius[2]), Grotefendus[3]).

22.

(Tab. XXIV.)

Ahvdiuni akun (X||.

Inscriptio in calcis tectorio sculpta et colore rubro picta, reperta est secundum Finatium[4]) Pompeiis a. 1823, nunc adservatur in atrio inscriptionum Musei Neapolitani.

Altitudo est 11 d., longitudo 3 p. 9 d. cum dimidio.

Signum X) prorsus novum est et certam habet similitudinem cum signo etrusco numerali 50 vel 1000[5]).

---

23. Tabula Bantina.

(Tab. XXV.)

(1.) .... *uo* ...... *liki[t]u[d.]* ....(2.).........................*mus. q. moltam. angit. u* .... (3.) ....*deiuast. maimas. karneis. senateis. tangi* .... (4.) *amosi* .. *niok. egmo. kom. paraskuster. suaepis. pertemust. p* .... (5.) *deiuatud. sipus. komonei. perum. dolom. mallom. siom. iok. komo* .... (6.) *kasamnud. pan. piei. sum. brateis. auti. kadeis. amnud. inim. idik* ....

---

1) Mus. Borb. vol. VII. p. 16. sqq.
2) Stor. tav. CXX. No. 10.
3) Rud. L. O. tab. II. No. 10. p. 27.
4) Catal. Mus. Borb. vol. III. p. 83.
5) Comp. O. Müller Etr. p. 318.

(7.) *tanginud. maimas. karneis. pertumum. piei. es. komono. pertemem* .... (8.) *komono ni. hipid.*

Pis. pokapi. t. post. post. esak. komono. hafiert. meddis .... (9.) *en. eituas. faktud. pous. touto. deiuatuns. tanginom. deikans. siom. dat. ei* .... (10.) *deikum. pod. ualaemom. toutikom. tadait. ezum. nep. fepa kid. pod. pis. dat* .. .. (11.) *deiuaid dokud. malud., suae. pis contrud. eselk. fefakus. t. auti. komono. hip* .... (12.) *to. estud. n.* ⊘ ⦸., *in. suaepis. ionk. fortis. meddis. moltaum. herest. ampert. mi[nstreis ae]teis* (13.) *eituas. moltas. moltaum. likitud.*

Suae pis. prumeddisud. altrei. kastrous. uki. eituas (14.) *zikolom. dikust., izik. komonon. hipid. ne. don. op. toutad. petirupert. urust. sipus. perum. dolom* (15.) *mallom. in. trutum. ziko. touto. peremust. petiropert. neip. mais. pomtis.*

Kom. preiuatud. aktud (16.) *pruter. pam. medikat. indom. didist. in. pon dos mo XX. kom. preiuatud. urust. eisukon. zikulud* (17.) *zikolom. XXX. nesimum. komonom. ni. hipid. Suae. pis. kontrud. eseik. fefakust. ionk. suae. pis* (18.) *herest. meddis. moltaum., likitud. ampert. mistreis. aeteis. eituas. likitud.*

Pon. kenstur (19.) *Bansae. tautam. kensazet. pis. keus. Bantins. fust. kensamur. esuf. in. eituam. poizad. ligud* (20.) *aisk. kenstur. kensaum. anget. uzet. aut. suae. pis. kenstomen. nei. kebnust.*

dolud. mallud (21.) in. eizeik. uinkter. esuf. komenei. lamatir. prmed. dišud. toutad. praesentid. pèrüm. dolum (22.) mallom. in. amirikatud. allo. famelo. in. ei. siuom. paei. eizeis. fust. paeankensto. ust (23.) toutiko. estud.

Pr. suae. praefukus. pod. post. esak. Bansae. fust., suae. pis. opeizois. kom. (24.) atrud .... ud. akum. herest. auti. prumedikatud. manimasepum. eizazunk. egmazum (25.) pas. es, aisken. ligis. skriftas. set. ne. phim. pruhipid. mais. zikolois. X. nesimois. suae. pis. kontrud (26.) eseik. pruhipust. molto. etanto. estud. n. ↀ*., in. suae. pis. ionk. meddis. moltaum. herest., likitud (27.) [ampert.] minstreis. aeteis. eituas. moltas. moltaum. likitud.*

Pr. kenstur. Bansae (28.) ...... id. ni. I. suae ... fust. nep. kenstur. fuid. nei. suae. pr. fust., in. suae. pis. pr., in. suae (29.) .... m .. iei q. d ..... im. nerum. fust. izik. post. eizuk. tr. pl. ni, fuid. suaepis (30.) .... ist. izik. amprufid. fakus. estud: idik. medikim. eizuk (31.) .... um. VI. nesimum (32.) .... um. pod (33.) .... medikim.

Haec tabula aenea a. 1793. Oppido in finibus Lucaniae reperta est. Nomen tabulae Bantinae indiderunt viri docti quoniam in verbo Bansae, quod saepius in inscriptione invenitur, Bantiae urbem Apuliae, non multo ab Oppido distantem, et in verbis keus Bantins (lin. 19.) civem Bantinum latere arbitrati sunt. Tabula in ambobus lateribus

scripta est, et in altero finem legis Romanae, in altero partem Oscae exhibet.

Ambae inscriptiones primum a Rosinio[1]) editae sunt, et repetitae a Marinio[2]). Deinde Guarinius[3]) iterum exhibuit et amplo commentario instruxit. Laborem autem vere doctum primus Klenzius huic monumento accuraet impendit. Et primum quidem legem Romanam tractavit[4]) et inscriptionem incidendam curavit secundum Rosinii exemplum. Denuo editam vides hanc dissertationem in principio opusculorum Klenzii posthumorum quae Lachmannus edidit[5]), et subinde commentationis de osca lege partem eam, quam manuscriptam Klenzius reliquerat. Haec Klenzii disquisitio omnia continet quae hucusque bene et subtiliter hac de re exposita sunt, et maxime dolendum est, ad finem non perductam fuisse hanc operam. Paucissima insuper notata invenio in schedis quas Lachmannus mihi tradidit et talia ut vix alia manu disponi possint nisi ipsius auctoris. Ea quae memoratu digna mihi videntur, me ipsum aliquando in lucem protrahere posse spero. Peracute disputatum est quod de iuris ratione in municipiis ex variis dictis et ex magistratibus nominatis ille coniecit; argumentum legis oscae hic consignatae ad ius publicum spectare et primum quidem de agrorum mensione et distributione, deinde de censu agi demonstrare Klenzius conatus est (p. 27.). Ex iis quae de lingua exploravit tantummodo disquisitionem de declinationibus (p. 43—52) et nonnulla de pronominibus (p. 52—54) litteris consignavit; nec schedae, quas reliquit, quidquam amplius de rebus grammaticis continent, sed notulas tantum de variis locis, ex quibus interdum sententiam eius deprehendere potes de certis formis grammaticis.

---

1) Diss. Isag. No. V. VI.
2) Gli atti dei fratelli arvali, Napoli. 1795. P. II. p. 569.
3) Comm. IV. et V. 1820.
4) Rheinisches Mus. für Philologie, vol. II. 1828, p. 26. sqq.
5) Philologische Abhandl. von Klenze. Berlin. 1839. p. 1. sqq.

Grotefendus[1]) inscriptionem oscam denuo exhibuit secundum Rosinii editionem et interpretationem cum commentario adiecit. Oscam legem eandem esse opinatur ac Romanam posticae. Qua de re prorsus assentimur Klenzio, qui demonstravit diversas fuisse leges.

Ultimus Guarinius[2]), qui germanicas has non noverat interpretationes, libellum edidit de osca lege peculiarem tabulamque adiecit. Tria urbium nomina diversa nunc in inscriptione reperisse sibi visus est, Bantiam scilicet, Sansam quandam[3]), et Castrum, quod antiquum Oppidi nomen fuisse opinatur. Deinde vult probare, argumentum esse plebiscitum de re vestiaria et in eo cum lege Romana alterius partis convenire. Haec de illa lege opinio iam antea ab eodem prolata, sed a Klenzio[4]), qui finem legis de repetundis perspexit, reprobrata est.

Tabula, quae nunc in Museo Neapolitano adservatur, olim certe multo maior fuit; id Klenzius praecipue disquisitione de lege Romana, cuius fragmentum tantum decimam vel duodecimam totius partem continet, demonstravit. In osca quoque tabulae latere nonnullae conspiciuntur litterae ad alteram paginam quae periit pertinentes. Inde colligere licet, tabulam olim fuisse largiorem una saltem pagina. Quae vero altitudo fuerit et quot aliae tabulae fortassis exstiterint eiusdem argumenti, id definiri non potest. Si pro certo habemus, ea quae Klenzius in lege Romana explevit, recte constituta esse, pagina latina circa 17 digitorum habebat romanorum latitudinem; osca nonnisi 13 est digitorum; itaque si ceterae paginae eiusdem fere latitudinis erant, lex Romana tres, Osca quatuor paginas, unam iuxta alteram habere debebat, ut idem explerent spatium. Ea de re certissimum sane fieret

---

1) Rudim. L. O. p. 9. sqq.

2) In comm. suum V. excursus criticus. Napoli. 1841.

3) Comp. Micali, Storia degli pop. Ital. Firenze. 1832. tom. I. p. 330.

4) p. 4. sqq.

indicium, si reliqua ipsa monumenti pars reperiretur. Sed e contrario parvum illud fragmentum quod a Rosinio etiamtum exhibitum, et in nostra tabula secundum illum repetitum vides, perditum est, et eo certe tempore quo nos summa cum diligentia in Museo id quaesivimus, suo loco non amplius exstitit. Grotefendus hanc particulam cum tabula coniunxit; sed verba latina posticae et spatia inter versus oscos quae non prorsus conveniunt, se opponere videntur; neque verisimile est, Remondinium, qui monumentum ipsum ante oculos habebat, non vidisse, si verum esset. Rumor tamen erat, ut custodes mihi dixerunt, fragmentum multo maius quam illud quod perditum est, possideri a quodam qui triginta ducatorum pretium accipere noluit.

Quoad priora monumenti apographa, maximam habere videntur fidem; nihilominus 18 adhuc menda ex accurata comparatione reperi. Prima littera versus noni decimi non est *s* sed *b*, neque iam ullum restat fundamentum coniecturae de Sansae cuiusdam urbe. Interdum quidem ipse scriba lapsus est, et versu 11. *docud* scripsit pro *dolud*, ibidem *eselk* pro *eseik*, v. 18. *mistreis* pro *minstreis*. Versu 29. antea perperam scripsisse videtur *PR. PL.* et postea *TR. PL.* correxisse, sed ita ut vestigia P litterae adhuc appareant. Litterarum formae omnino in archetypo et in nostro exemplo paulo nitidiores sunt quam in ceteris exemplis. Lex Romana aliam prae se fert manum; litterae pinguiores sunt et versus aliquanto rariores.

24. Tabula Veliterna.

(Tab. XXVI.)

Deue dekluue statom sepis atahus
pis uelestrom fasia esaristrom
se bim asif uesklis uinu arpatitu
sepis totiku kouehriu sepu ferom
pihom estu ek se kosuties ma ka
tafanies mediš sistiatiens.

Parva tabula aenea Velitris in Volscorum terra reperta, nunc in Museo Neapolitano adservatur. Ediderunt Lanzius [1]) et Guarinius [2]); sed ambo pro *fasia* legerunt *faka.*

Litterae sunt latinae cum quibusdam formis peculiaribus, quales in vicinia Romae saepius inveniuntur, inprimis *a* et *o* litterarum. Cur O. Müllerus [3]) graecae litteraturae elementa hic videre sibi visus sit, equidem ignoro.

Lingua sine dubio Osca appellanda est, etsi non Campanam ibi habemus dialectum. Tabula est Volscorum, Oscae stirpis populi, monumentum et Oscus magistratus medix in ea commemoratur. Dialectus cum situ geographico Volscorum in eo convenire videtur, quod maiorem hic cum lingua Umbrica similitudinem deprehendimus quam in Campaniae inscriptionibus. Compara verba: *deue, pis, fasia, se, asif, uesklis, uinu, sepu, pihom, estu, statom, mediš sistiatiens* cum Eugubinis: *deueia, pir, fasio, sei, uesklir, uinu, seipo, pihatu,* estu, statita, kvestre sistitis-teteies. Accedit quod litterae, ut *Z,* quae Oscae litteraturae propriae sunt, in hoc certe titulo non reperiuntur.

1) Saggio vol. II. p. 616. (p. 530.)
2) Comm. I. p. 14. sqq.
3) Etr. I. p. 29.

At verba *pis*, *sepis*, *totiku*, *estu*, *medis* cum Oscis Campaniae *pis*, *sipus*, *toutiko*, *estud*, *meddis* conveniunt, et rhotacismus Umbriae abest.

Vascula Nolana.

(Tab. XXVI.)

Hae vasculorum inscriptiones a ceteris omnibus quas hucusque enumeravimus, distinctae sunt, et in litteraturae Oscae historia non minimi sunt momenti. Formae enim litterarum multo magis ad etruscas accedunt et propterea sine dubio ceteris antiquiores habendae sunt. Tamen quominus in Etruria haec vasa inscripta et in Campaniam translata putes, impediunt aliae litterae, quae cum ea, quam Oscis propriam esse vidimus litteratura conveniunt. Omnia haec vascula nigro colore sunt obducta, in quem inscriptiones acu incisae sunt. Videas, quae de origine, de pretio et de fide talium monumentorum optime Gerhardus[1]) disputavit. Difficilius sane est dictu, num omnes inscriptiones in Oscis terris repertae ea ipsa de causa oscae linguae adnumerandae sint, an etruscae potius, quum notum sit, Etruscos diu in Campania habitasse. Sed hac de quaestione gravissima alio loco pluribus et accuratius disseremus; hic id tantum adiecisse iuvabit, inscriptiones in Campania inveniri, quas, quamvis sinistrorsum litteratura procedat, tamen oscas non esse pro certo habemus.

25. Marahieispuntai

Patera Musei Neapolitani[2]), cuius pars interna ornamentis Nolanis impressa est; circum ea titulum incisum habet, quadem summa cum diligentia exscripsimus.

26. Kanutiessim

Fragmentum vasculi quod apud Iorium Neapoli vidi-

1) Neuerworbene Denkmäler des Königl. Mus. zu Berlin. 1836. p. 42.

2) Gerhard Neapels Antiken Tab. II. Z. IV, 4. p. 308.

meus, in medio nonnulla habet ornamenta impressa. Litterae a, n, m oscam habent formam, t etruscam.

27. Patera Saticulae, Samnii urbe, prope St. Agata de' Goti, quae nunc dicitur, reperta, eiusdem est Lorii. [illegible]

28. Herino. Patera Nolana a Gerhardo inter alias multas selecta et a Museo Berolinensi empta 1).

29. Patera una cum altera n. 27. Saticulae reperta, nunc Antonii Giordani Neapoli. Edita est inscriptio, sed valde diversa, a Guarinio 2).

30. Vasculum Nolanum a Gerhardo 3) Museo Berolinensi illatum, et accuratissime, post Guarinii 4) malam descriptionem, iterum editum. Repetiit Grotefendus 5).

31. 32. Berolinum ab eodem Gerhardo translatae paterae Nolanae 6), a Grotefendo repetitae.

33. 34. Subiunximus hic inscriptiones duorum vasorum, quae Nolae reperta in Museo Neapolitano exscripsimus, quamvis nihil aliud nisi duo alphabeta contineant. Mixtas ibi vides litteras oscas, etruscas, graecas et alias prorsus ignotas; nihilominus has inscriptiones genuinas, et in Campania scriptas esse persuasissimum habeo; comparandae sunt cum illis alphabetis, quae in vasculis etruscis vel in sepulcris Etruriae reperta et alibi 7) a nobis ipsis tractata sunt. Apparet etiam, certam exstare relationem inter haec alphabeta et eas quas modo perlustravimus vasculorum inscriptiones; quid quod ignotam illam litteram decimam quartam primi alphabeti,

1) E. Gerhard, Neuerworbene Denkmäler. 1836. No. 1619. Vide etiam Annali dell' Instituto vol. IV. p. 279. vol. VII. p. 174. et Grotefend, Rud. L. O. tab. II. p. 33.

2) Comm. XI. p. 33.

3) No. 1613.

4) Comm. XI. p. 35.

5) p. 33.

6) No. 1614. 1617.

7) Annali dell' Instituto [illegible]

quae mihi sibilans esse videtur, iterum reperis in inscriptione 31. paterae Berolinensis.

Inscriptiones incertae vel ab aliis exhibitae, quae ad monumentorum fidem exigi non potuerunt.

(Tab. XXVII.)

35.

N. Vesullia
ís. Tr. m. t.
ekík. sakara
klúm. búva
ianúd
aíkdafed

Hanc inscriptionem, cuius fidem non habeo cur in dubium vocem, nuper ex Italia recepi Guil. Abekenii cura. Repertam scribit amicus Anglonae, quae hodie dicitur, in provincia Molise ad Samnium olim pertinente. Plura mecum non communicavit. Lapidi insculpta esse videtur. In tabula nostra talem exhibitam vides, qualem recepi, sed formam litterarum interdum paululum a vero recedere credideris. Prima littera n duabus lineolis aucta est, quasi compendium fuisset nv litterarum. Tamen vel n simplex fuisse videtur et praenomen Numerii formasse, vel compendium ne syllabae, ita ut media lineola perdita esset. Tr. patris praenomen iam in inscriptione 12. vidimus; sequuntur, ut illic med. túv., hic m. t. compendia pro meddíss túvtíks. Vox sakaraklúm, littera u licet sine puncto scripta, nota est ex cippo Abellano, et Búvaianúd urbem Samniticam illius regionis Bovianum subito in mentem reducit, ita ut facile interpretationem totius inscriptionis consarcinaveris. Forma adie-

ctivi Búvaianúd comparari potest cum illa Abellana Pumpaiians, quasi urbis nomen ad exemplum Pompeiorum et Veiorum fuisset Boveii. De terminatione -úd, quae alibi u pro ú habet, infra plura disputabimus [1]). Maluissem sane monumentum ipsum inspicere, unde ad liquidum perduci potuisset quaestio de origine.

36.

Tanas Niumeriis Frunter

Lapis arae vel basis formam habens in oppido Aspramonte, novem milliaria italica distante ab antiquo Boviano Samnite, una cum statua ex creta facta repertus, a Cerullio [2]) primo editus, deinde a Lanzio [3]) repetitus est.

Praenomen Numerium Samnitibus usitatum fuisse, inscriptiones quas laudavimus complures docent et Livii [4]) locus affirmat, ubi Numerium Decimium Samnitium ducem, Boviano oriundum nominat.

37.

Eka trisii
med... Kapva
sakra... use
e... a... miia
n.. ssimas

Titulus Capuae in Campania repertus et a Mazocchio [5]), Lanzio [6]), Grotefendo [7]) editus.

---

1) Ubi de nummis Teani Sidicini agimus.
2) Lettera sopra un' antica statua etrusca. 1777.
3) Saggio tom. II. p. 611. (525.) tab. IV. No. 6.
4) XXII, 24.
5) Diss. Cort. tom. III. p. 1.
6) Saggio tom. II. p. 608. (522.)
7) Rud. L. O. tab. I. p. 20.

38.

Paakul Mulukiis Marai meddís
degetasis aragetud multas.

Lapis Nolae adservatus, cuius longitudo 2 p. 6½ d., latitudo 2 p. 1½ d., altitudo 10½ d. est. Editus est a Lanzio[1]), Guarinio[2]), Grotefendo[3]).

De nomine Marai vide inscr. 13. Cum fine tituli compara verba meddíss degetasiús araget. inscriptionis 18.

39.

Pakis Tintiriis.

Tabula aenea in Castell' a mare della Bruca, Abruzzorum oppido, reperta. Lanzius[4]) edidit secundum accuratissimam, ut ait, descriptionem; quare non est, cur fidem deroges, quamvis eum qui nunc possideat vel locum ubi adservetur, explorare non potui. Formae litterarum clarae sunt et sine difficultate, nisi quod i ultimam lineolo auctam fuisse credideris.

40.

Miaitilnia.

Titulus in patera Nolana, a Lanzio[5]) editus, et a Grotefendo[6]) repetitus.

41.

Mais vesi
main trem

In Seminario Nolae adservatur. Ediderunt Remon-

1) Saggio vol. II. p. 609. (523.)
2) In cippum Osco-Abellanum divinatio. p. 23.
3) Rud. L. O. p. 33.
4) Saggio vol. II. p. 611. (525.)
5) Saggio vol. II. p. 608. (525.)
6) Rud. L. O. p. 33.

dinius[1]), Lanzius[2]), Grotefendus[3]) cum interpretatione.

42.

Hanc inscriptionem, quam Guil. Gellius[4]) Pompeiis in domo Poetae Tragici se legisse dicit, equidem reperire non potui. Litterae iam Gellii tempore male conservatae fuisse videntur, quum in ipsius tabula certe male figuratae sint, neque ullam admittant lectionem. Grotefendus[5]) repetiit et interpretatus est.

43. 44.

Duae inscriptiones a Guarinio editae, quarum prior in Castro Baroniae[6]), altera in Castro de Sangro[7]) in Abruzzis reperta dicitur. Archetypa explorare non potuimus, et hac repetitione editionis Guarinianae consignare tantum voluimus, inscriptiones similes exstare, quas aliis rectius exscribendas relinquimus.

45.

Pa. Vi. Pakuies medis
uesune dunom ded
ka. kumnios ketur.

Tabula aenea in agro Antiatium Volscorum reperta dicitur. A Romanellio[8]) primo edita, deinde a Guarinio[9]) repetita et explicata est. Litterae p forma peculiaris

1) Dissert. sopra una singolare iscrizione osca.
2) Saggio vol. II. p. 607. (521.)
3) Rud. L. O. p. 33.
4) Pomp. p. 144.
5) Rud. L. O. p. 29. tab. II.
6) Comm. XI. p. 38.
7) Comm. XIII. p. 26.
8) Antica topografia istorica del regno di Napoli 1819. tom. III. p. 231.
9) Comm. XIII. p. 9.

in Latii quoque inscriptionibus reperitur[1]. Vox vesune saepius in tabulis Eugubinis exstat.

46.

Mesene
flusare
poimunie...
at.rno...
aunom
hiretum

Cippus in Scoppito prope Amiternum Sabinorum urbem repertus, nunc Aquilae a quodam adservari dicitur. Editus est a Lanzio[2], repetitus a Grotefendo[3]. Lanzius inscriptionem latinam a Muratorio[4]) editam laudat, in qua verba mense flusare reperiuntur. Accuratiore tituli descriptione opus est, ut de fide diiudicare possimus.

47.

V. Atei Diva
Vettune
Erinei et
Erine
patre
dono meil i
lib.. t

Miloniae in terra Marsorum reperta traditur haec inscriptio, quam Lanzius[5]) primus, et secundum eum Gro-

1) Cf. Montfaucon, Antiqu. expl. tom. V. P. I. pl. XVIII. Lanzi, Saggio vol. I. p. 163. (124.)
2) Saggio vol. II. p. 618. (532.) tab. XVI. No. 1.
3) Rud. Linguae Umbricae Part. I.
4) p. 587.
5) Saggio tom. II. p. 619. (533.)

tefendus[1]) ediderunt. Forma e litterae in Latio non rara est.

De duabus, quae in eadem tabula XXVII. sequuntur, inscriptionibus umbricis supra egimus p. 46. 50.

C. INSCRIPTIONES FALSAE.

(Tab. XXVIII.)

De primo et secundo titulo quos Umbricos esse voluerunt, supra (p. 52. 55.), cur subdititios credamus diximus.

3.

Hunc titulum in lapide rotundo luteoli coloris ad collectionem insignem Illustrissimi S. Angeli Neapolitani regis administri pertinente vidimus et accuratissime exscripsimus. Litterae non incisae sunt, sed ex superficie exstant. Altiliae in Samnio a. 1823 repertus dicitur hic lapis; tamen exigua monumentorum cognitio sufficit, ut adulterinum esse agnoscas. Confirmant litterarum formae et verba; tamen hic primi id monumentum exhibere voluimus, quoniam prope ad genuini tituli naturam accedit, ita ut facile ab iis, qui faciliores sunt ad credendum pro vero haberi et serio explicari possit.

4.

Parva lamina aenea, quam in agro Anxano Frentanorum repertam volunt. Titulus a Tuzio Neapolitano, qui mecum communicavit, in Museo Georgii Anxani exscriptus est. Antea iam edidit Guarinius[2]). Omnia quae ex illa urbe nunc Lanciano dicta proveniunt suspecta esse, doctissimus Avellinius mihi declaravit; fraudatores enim aliquando ibi exstitisse constat. Hunc quidem titulum Anxianam istam habere originem ex sola Tuzii delineatione facile agnosces.

1) Rud. Linguae Umbr. Part. I.
2) Comm. XIII. p. 21.

5. 6.

Prima harum inscriptionum dudum innotuit. Inde quamvis Grotefendus nuper quatuor disticha graeca, quorum tertium ab hexametro septempedali incipit, eliceuerit, tamen locus, ubi titulus repertus traditur, inducere aliquem possit, ut oscam esse ibi suspicetur linguam. Basta enim in Messapia oriundam praedicant. Quare hic exhibere inscriptionem placuit, ne, si fieri potest, abhinc amplius virorum doctorum ingenium exerceat. Fraus est satis antiqua, sed non minus certa. Titulus tantum ex manuscripto excerptus est. Si monumentum ipsum, quod nemo oculis vidit, adhuc exstaret, fraus certo non tam diu latuisset.

Historia duarum inscriptionum nuper pluribus a Massmanno [1]) exposita est. Prima in opere posthumo Antonii Galatei, „philosophi, medici, geographi, poetae", a Petro Perna edito [2]) primum evulgata est. Galateus a. 1444 natus a. 1517 mortuus est. Post eum a Grutero [3]) exhibita est, qui non ex illo libro, sed ex schedis Pontani, cui Galateus miserat, exscriptam a Pighio acceperat. Deinde ex parte repetita est a Lanzio [4]), qui complura nomina geographica ibi detexisse sibi visus est, et litterarum formas antiquissimas putat graecas. Niebuhrius [5]) inscriptionem graecam ab aliquo homine linguae prorsus ignaro negligentissime exscriptam suspicatur. Sequitur Grotefendus, qui antiquissimam Choniae descriptionem poeticam esse sibi finxit [6]) et inter a. 720 et 510 a. Chr. n. conscriptam demon-

1) Gelehrte Anzeigen der Königl. Baier. Akademie der Wiss. 1840, October, No. 199.

2) Antonii Galatei Liciensis philosophi et medici doctissimi qui aetate magni Pontani vixit, liber de situ Japygiae. Basileae per Petrum Pernam. 1558. 8.

3) Inscr. ant. 1602. p. CXLV. No. 5.

4) Saggio vol. II. p. 620. (534.) tab. XVI. No. 4.

5) Röm. Gesch. vol. I. p. 160.

6) Explicavit ita:

Χώνης ἴσθ' ὁρίαν Μαρσάπιδος ἄστεϊ Βάστᾳ
εἶναι Ὑδρᾶντα, Τάρανθ', οὗ ἕδρα Μεταβόου.

stravit. Altera inscriptio primum edita est a. 1601 ab Joh. Ant. Summonte[1]), qui fortassis schedas Petri Summonte, ad quem Galateus primam quoque miserat inscriptionem, hereditate acceperat. Massmannus denique primus ambas inscriptiones contulit a. 1834[2]), atque iterum, explicationem Grotefendi, qui ignoravit hanc alteram inscriptionem, explodens, eo quem supra indicavimus loco a. 1840 doctissime de earum historia disseruit. Hic quoque vir doctus, quamvis caute omni interpretatione se abstineat, antiquitatem tamen inscriptionum et fidem defendit, alterius imprimis tituli collatione commotus.

De pervetusta characterum formatione ne somniare quidem Grotefendus potuisset, si maiorem palaeographiae haberet cognitionem. E contrario fere nulla est in ambobus titulis littera, quae ad veterem inscriptionem pertinere posset, et iam si singula reperta esset. Compares imprimis litterarum d, l, m, n, g, t formas. Similitudinem quandam facilius cognosces quum in singulis litteris tum in toto inscriptionis habitu cum medii aevi characteribus; quamquam nec illorum quidem temporum clare expressam vides speciem. Accedunt versuum distinctiones, et in fine versuum puncta et fractorum verborum signa. Omnia, si quid video, fraudem et simulatam potius quam veram redolent antiquitatem. Lingua autem, quum non sit graeca, non osca, non latina, quae tandem fuisse potuerit? Nunquam tot in Italia exstiterunt linguae, ut sperare possimus, fore ut aliquam hucusque prorsus ignotam detegamus. Qua de causa persuasum habeo, inscriptiones

---

Χωνεδονὰς δ᾽ ἄκτας Σύβαριν τ᾽ Οἰνώτριον, ὅκκου
Αἰσάρρος πόντου ὕδασιν ἀντιρέει·
Ἔνθ᾽ Ἴ|ρηξ ὀρι|κὸς κατα|ρεῖ ἠ|Χώνετου|ἠτεΝε|αίθου
Ὕδατα Χωννεία, ἔνθ᾽ Ὕλιας τε νάει.
Ἀκτὰς Κραθιαεῖς, ἐνθ᾽ αὖ Βαρδάννος ἀπ᾽ ὀχθῶν
Χωννείαν διαρεῖ ἱμερόεσσαν ἀεί.

1) Historia della città e regno di Napoli. 1601. 4°., iterum edita a. 1675.

2) Baiersche Annalen. München. 1834. No. 25. (XVII.) p. 200.

ambas aut a docto poeta ipso fictas esse, quum historiam Iapygiae scriberet, aut ab alio quodam qui Galateum fefellit.

7.

Aliud fraudis exemplum in hac inscriptione habes, quae Messinae reperta esse a Castellio[1]), dicitur. Primum edidisse Gualterium, emendatiorem Dominicum Gallum in Annalibus Messanensibus vol. I. p. 16., idem nos docet Castellius. Lanzius non novit vel laudare noluit; O. Müllerus eius mentionem fecit[2]); Grotefendus[3]) repetiit et explicavit.

Saeculo XVIII, quo plurimas inscriptiones sive patriae efferendae causa sive docta petulantia fictas esse constat, non miraberis, historiam illam de Messana a Mamertinis a. 282 a. Chr. n. capta tanquam argumentum piae fraudis ab homine docto Messanensi selectam fuisse. Ad hunc finem assequendum suffecisset fortassis illo tempore unaquaeque inscriptio in Messanae vicinia infossa et verbis obscuris obstructa. Tamen ne ullum de vetere origine remaneret dubium, Mamertini ipsi diserte nominari debebant. Mamertini mercenarii fuerunt italici, qui secundum Strabonem e Campania, secundum Festum e Samnio originem duxerunt. Id quidem constabat, Oscos fuisse, quum, ut Festus ait, Mars ab iis Mamers diceretur et a Mamerte Mamertini denominarentur[4]). Oscae linguae tunc fere nulla erat cognitio, nisi quod e scriptoribus notum erat, Oscos summum magistratum meddix appellavisse. Id igitur vocabulum graece verterunt μέδδειξ[5]) et in

1) Siciliae et obiacentium insularum veterum inscriptionum nova collectio. Panormi. 1784. Cl. V. No. 46. p. 60.

2) Etr. vol. II. p. 69. nota.

3) Rud. L. O. p. 21. Vertit ita: Stenius Calinius Stattii (filius) hic Marae pompam dicavit, simul sivit, qua Meddix Ufens sanxit, totum Mamertinum (nomen) agere hic chorum.

4) Fest: Mamers Mamertis facit, id est lingua Osca Mars Martis: unde et Mamertini in Sicilia dicti, qui Messanae habitant.

5) Littera í in meddíss brevis est; graece igitur μέδδιξ, non μέδδειξ, scribendum fuisset.

loco conspicuo inscriptionis posuerunt. Praeter hanc vocem nulla alia in tota inscriptione reperitur, quae aliunde iam innotuerit. Nihil omnino hoc in titulo Oscam linguam refert; imo litterae et litterarum compositiones exhibentur, quae ab Osca lingua prorsus alienae sunt; duae distinguuntur vocales e, et duae o, ut in graeca lingua ex qua etiam y accepit falsarius, quamvis osca unam tantum e, unam o habeat, nullam y litteram. Terminationes verborum fere omnes graecae sunt, ut ipsa litteratura, ita ut graecam potius esse suspiceris dialectum, quam oscam, nisi radices impedirent, quae graecae certe non sunt. Cur autem omnino non possit admitti, Mamertinorum turbam mercenariam ex graeca urbe oscam fecisse Messanam Siciliae, eiusque permutationis testimonium hanc unicam inscriptionem ex eo tempore ad nos pervenisse, id pluribus demonstrare supersedeo.

PARS SECUNDA.

A. DE NUMMIS ITALIAE INSCRIPTIS, PRAETER ROMANOS GRAECOSQUE.

Nummos in Tabulis XXIX. XXX. ad unum omnes accurate ad ectypa in Museis quae sunt Londini, Parisiis, Berolini a me confecta expressi. Admodum paucos ex operibus fide dignissimis petii, et malui nonnulla omittere quam exempla sequi non satis certa. In geographica Italiae descriptione eas urbes, ubi nummi umbrice et osce inscripti reperti sunt, rubra linea notavi, nigra, ubi latine inscripti.

Raetia.

In terris ab Etruria et Umbria septentrionem versus sitis nulli adhuc nummi cum inscriptionibus innotuerunt, exceptis duntaxat Romanis serioribus et duobus argenteis, quos utpote ineditos in tabulae XXIX. fine posui. Reperti ii sunt in saltu Alpino qui est intra Curiam et Clavennam in Septimo Monte i. e. in Raetia, et nunc in Museo Turicensi adservantur, ubi nuper vidi. Quod dedi ectypon, Sauppius misit, professor Turicensis. Genuini num sint nummi cur dubitetur, nulla omnino exstat causa. Inscriptio utriusque nummi eadem est, bene in altero conservata. Litterae certissime sunt etruscae praeter quod ultima dubia videtur esse. Ea non potest esse, nisi vocalis; quodsi de i cogitari licet, legendum est Urvi. Id nomen Orobiorum renovat memoriam,

qui in ipsis illis regionibus habitabant et Catone teste [1]) Comum atque Bergamum et Licini Forum et aliquot circa populos complectebantur. Hinc eos ad lacum sedisse Comensem apparet, cuius ad littus septentrionale Clavenna sita est. Atque totam hanc oram a Tuscis vel potius a Tyrrhenis Pelasgicis occupatam fuisse, alibi demonstrabitur. Veruntamen nummis illis coniecturas superstruere amplius, non videtur sobrii esse interpretis.

Etruria.

Ex quo constat, nummos litteris HAT insignitos, non esse Hadriae eius quae fuit ad Padum, sed Hadriae in Piceno, omnis Etruria quae est ab Umbria septentrionalis nihil nos moratur, sed ad ipsam accedamus oportet Etruriam proprie dictam. De singulis Etruriae oppidis, quibus nummos cusos esse vel certis constat indiciis vel probabiliter colligitur, Marchius et Tessierius sunt consulendi in opere praeclaro de Aere Gravi Musei Kircheriani [2]). Inscriptiones quidem, quae certe demonstrent originem, non sunt nisi in nummis satis multis V o l a t e r r a r u m, etrusce V e l a θ r i. Litterae formas repraesentant mere etruscas, nec offendit quod r ubique angulata conspicitur. Typus et inscriptio in omnibus assis partibus eadem habentur, id quod ipsum nummis etruscis proprium est. Multo rariores inscriptiones sunt P o p u l o n i a e [3]). Eius urbis nummorum exemplum neque ipse in iis vidi Museis, quae perlustravi, nec aliunde a quoquam missum accepi. Quid quod Iesuitae, quum ne Kircherianum quidem Museum a re nummaria egregie instructum suppeditaverit, illud nummorum genus prorsus omiserunt. Conspicua autem est in nummis illis magna typorum varietas, quae ab Etruscorum more longe recedit; nec globulos habent omnes. Qui ubi sunt,

---

1) Plin. H. N. III, 21.

2) L'aes grave del Museo Kircheriano, ovvero le monete primitive de' popoli dell' Italia media, ordinate e descritte (da G i u s e p p e M a r c h i e P i e t r o T e s s i e r i della compagnia di Gesù) Roma, 1839.

3) Eckhel, Num. vett. anecd. P. I. p. 10. tab. I. 2. Rein, Doctr. Num. vet. P. I. p. 93. O. Müller, Etrusker P. I. p. 330.

pondus est valde exiguum ad nummorum Volaterrarum gravitatem. Omnis denique stylus priscae dicitur antiquitatis esse, nec inscriptio in omnibus eadem, sed inter Pupluna fluctuat et Puplana. Hinc satis intelligi arbitror, quam spissis tenebris adhuc hi nummi premantur. Etiam incertiores reliquae sunt inscriptiones Etruscae, qualis est Velsu in quinario aureo Musei Hedervariani [1]) et Peiϑesa in parvis nummis aereis [2]), cuius loco in aliis est Peitesa [3]), varietas satis memorabilis. Nec in rem nostram ii quidquam conferunt nummi duo, quibus in utraque parte inscriptum est KAM [4]); certe ii non pertinent ad Clusium, quae Mülleri fuit sententia [5]). Ipse olim de Camerino cogitavi Umbrico [6]); sed diu est ex quo destiti, ex tam singulari monumento, quale duo illi sunt nummi, coniecturas capere. Nam ut non sint spurii, quamquam nemo nescit plurimos nummos ab Italis recentioribus ad antiquitatis speciem fictos esse, tamen eorum fides parum est tuta. Accedit quod ectypa satis sunt negligenter confecta. Manifesto ambo nummi cum apro saltante in utroque latere pro uno sunt eodemque; sed in uno KAM legitur, in altero *TEAΔ;* nec quid significet vir pone aprum adstans, in aperto est.

Umbria.

Umbriae tantum cisapenninae pars cum titulis suis et nummis hic in censum venit. In transapennina nummi exstant Arimini [7]) cum inscriptione latina ARIMI, ARIMN; sunt ii sine globulis et eius procul dubio aetatis, qua colonia

---

1) O. Müller. p. 334.

2) Müller ibid.

3) Mus. Kirch. Tav. di supplem. Cl. III. No. 7.

4) Guarnacci II, 8, 6. Arigonius Num. E. V, 8. Numi antiquiss. tab. XVIII, 67.

5) l. l. p. 332.

6) De tabb. Eug. p. 41.

7) Eckhel Num. ant. p. 5. Doctr. p. 95. Mus. Kirch. tav. di supplem. Cl. IV. No. 2. text. p. 37. 106.

deducta est Romana a. 269 a. Chr. [1]). Porro qui afferuntur nummi Pisauri inscripti PIS retrorsum, fidei mihi videntur esse sublestae. Lanzius [2]) non cognoverat nisi ex Gorii schedis, nec Eckhelius [3]) ipsos viderat. Praeterea reperti sunt nummi cum titulo graeco *ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ*.

In Umbria cisapennina prae ceteris frequentes sunt et fide dignissimi nummi Tudertis urbis, qui si tres excipiuntur vel quatuor eam ipsam ob causam suspecti, ad unum omnes ad certam legem facile revocari possunt. Nimirum, ut in Romanis factum est nummis, singulis assis partibus sui dati sunt typi singulares. Id quod ego primus aperuisse mihi videor in thesibus dissertationi de tabulis Eugubinis adnexis, quarum una fuit, ,,Praeter Romam alias multas Italiae urbes nummorum pretia non globulis tantum, sed emblematum diversitate distinxisse". Et probaveram hanc sententiam nummis maxime Tudertinis. Postea idem docuit Mauricius Pinder, vir mihi amicissimus, in libello quodam eruditionis pleno [4]); nuper in opere Iesuitarum numismatico egregie sententiam nostram confirmatam nummis Tudertinis vidi. Distinxerunt viri illi doctissimi duas potissimum aetates, quarum discrimen pondere constituitur [5]). Typi in utraque aetate earundem assis partium prorsus iidem sunt; ex inscriptionibus vero observationem petimus ab Iesuitis non factam, quae et ad tempora singularum Eugubii tabularum definienda multum confert, et ad illustrandam Umbricae Etruscaeque simul palaeographiae historiam. Etenim t littera in nummis antiquioribus hanc ubique formam habet ✝, in recentioribus ita est formata Ɣ: quod idem prorsus discrimen in tabulis observatum a nobis est Eugubinis. Inde, praeterquam quod ordo, quo

1) Lanzi tom. II. p. 645. ed. I., cui assensus est Eckhel Doctr. I. p. 96.
2) vol. II. p. 646.
3) Doctr. I. p. 96.
4) Numism. ant. inedd. P. 1. Berolini. 1834. 4. p. 80 sq.
5) Cl. II. tab. I. II.

eae tabulae se excipiunt, confirmatur, discimus etiam, non solum in Umbrica, sed etiam in Etrusca litteratura, t et z litterarum formas eas, quae lineas transversas tantummodo appositas habent, pro recentioribus haberi debere. As alterius classis deest, nec recte Iesuitae ita suppleverunt, ut in inscriptione t litteram traductis lineolis exhiberent. Item formae nummorum secundi et tertii tabulae II. non videntur genuinae esse ex ipsisque nummis petitae; alioqui in secundo nummo litera t in utraque parte diversam haberet figuram; tertii nummi ea pars quae dextra posita est, male videtur conservata, aut falsa est, quum praeter literam t, quae aliter formata esse debebat, Tuter pro Tutere scrupulum movet; Tutere enim Umbrorum propria erat pronuntiatio, quam Romani cum breviore Tuder commutaverunt. Umbrica forma, meo iudicio, etiam Caere est, in qua *e* apud Latinos quoque remansit propterea quod quae praecedit syllaba longa est. Pariter non est dubium, quin Kamere, Sudere, alia, in usu fuerint.

Longe maiores difficultates nummi Eugubini parant, quorum quum aliquot iam ab aliis in dubium vocati sint, ego omnes accuratius a perito harum rerum iudice spectandos esse arbitror, priusquam singuli pro genuinis haberi queant. Nunc id unum ago, ut ponam nonnulla quae in his nummis iure offendunt. Ea qui removere conabitur, operae pretium faciet. Nummos partim ipsos vidi, partim eorum ectypa possideo; collati fere omnes in opere sunt Iesuitarum [1]), qui tredecim expresserunt; nec plures hodie videntur superesse, paucissimi sane, si cum plurimis Tudertinis comparamus. Notatu vero valde dignum est, hos tredecim nummos Eugubinos longius ab una aliqua recedere norma, quam ducentos illos Tudertinos. Et quum Tuder ad Romanum et urbium Italiae inferioris morem se applicasset, in Eugubinis nummis partim certe systema Etruscum deprehendimus, quum as et semis (tab. III, 1. 2.

1) Class. II. tab. III. IV. Incerte tab. V. No. 13. Tav. di supplem. No. 2. 3.

IV, 1. 2.) eosdem habeant typos, uti etiam triens et quadrans (tab. III, 5. 6. IV, 3. 4.), nec non sextans et uncia (tav. d'agg. 2. 3.). Nec in ceteris tamen Etruscum illud systema valet, nam in tredecim nummis undecim conspiciuntur typi; si Etrusci essent, nonnisi unum vel duos habuissent. Duo nummi (tav. d'agg. 2. 3.) eadem in utraque parte emblemata monstrant; tres denique semisses sex habent typos inter se diversos. Atque haec typorum discrepantia editores Musei Kircheriani commovit, ut hos nummos non unius urbis Iguvii, sed confoederationis populorum Iguvinorum esse statuerent, quos populos quinque minimum fuisse coniiciebant. Sed nec haec quidem coniectura, nullo insuper argumento stabilita, omnes solvit difficultates, id quod ipsi concedunt editores p. 83. Nam systema nihilominus alienum est quum a Tudertino tum ab Etrusco. Accedit quod etiam mirabilior esset exiguus nummorum numerus, si sex populi confoederationis istius socii fuissent. Pondus autem si spectatur, nummi antiquissimi paulo sunt recentiores Tudertinis, quum rudis eorum stylus tempus iis assignet longe antiquius quam Tudertinis.

Insuper in palaeographia est quod haereas, licet Iesuitae id neglexerint. Iam antiquissimus ille Iguvii nummus quem Dempsterus[1] publicavit, litteram N nominis Ikuvini more Romano, non Umbrico conversam exhibet. Quod si in uno aliquo nummo cerneretur, non esset cur miraremur, nam eiusmodi errores complures admissi sunt. Sed profecto mirum est, quod ad unum fere omnes qui post illum protracti sunt et editi nummi, idem N monstrant, tanquam ad illius exemplar ficti essent. Qui proxime ab illo inventi sunt, a Passerio Paralip. p. 179. enumerantur; non eodem ii omnes loco reperti sunt nec asservati; commune tamen habent N romanum

1) De Etrur. Reg. I. tab. LIX. n. 4. repetitus ab Olivierio: Saggi di Diss. tom. III (Roma 1738) Diss. I. tab. III. fig. 2. Fuit is nummus olim in Museo Mediceo; Passerio ut videtur (Paralip. p. 179.) ibi amplius non exstitit.

et in uno, quem Reposatius [1]) accurate expressit, legitur Ikuvins, cum s quoque reversa et in inferiore parte admodum brevi, ita ut hanc fere formam repraesentet ᐸ. Porro probe est tenendum, ex quo hic editus est nummus, frequentius in aliis post repertis hanc litteram conspici posteriorem, ita tamen formatam, ut iam non amplius pro s haberi possit, sed c transversam clare exhibeat; s enim litterae caudam, quae in nummo adest Passeriano, si hic addere velles, in ipso margine ponere deberes. Magna pars nummorum quos Dempster, Passeri, D. Mauro Santi [2]), Reposati, Sestini [3]), Micali [4]) Lanzi [5]) primus de fraude monens, Eckhel [6]) item non sine nota dimittens, Avellino [7]), Wiczay [8]), Mionnet [9]) alii publici iuris fecerant, nuper in Iesuitarum manus venit, qui magna accuratione exprimendos curaverunt. In iis igitur nummis, utpote qui fide sint dignissimi, nunc subsistamus [10]). Ex iis qui sunt in tab. III. sex ad unum omnes transversam habent N et transversam ᐸ, quae neque s fuisse potest nec ulla alia littera alphabeti umbrici aut osci aut etrusci. In tabula IV. rursus duae habentur inscriptiones cum transversa N; contra pro ᐸ ibi est i certissime. His nummus est adiungendus, in quo contra morem Umbricum titulus a sinistra ad dextram sculptus est [11]). Quare ea inscriptio rectius latina diceretur, ut in tabulis Iguvii Latinis, et forma quoque pluralis in ini exiens cum la-

1) Zecca di Gubbio tom. I. (Bologna 1772) p. 6.

2) Diss. de Civit. et Eccles. Eugub. cap. 2. p. XXXIV.

3) Lettere e Diss. Numism. t. IV. Firenze 1818. p. 5.

4) L'Italia avanti il dom. dei Romani.

5) Saggio v. II. p. 647. ed. I. „Vi ha però di Gubbio, e in maggior numero di Volterra, medaglie false; ed essendo di getto facilmente ingannano“.

6) Doctr. v. I. p. 96.

7) Giorn. Numism. t. I. (Napoli 1811) p. I. tav. I. n. 1. et Ital. vet. numism. (Napoli 1808) p. 10.

8) Mus. Hederv. I. p. 17. n. 343. tab. I. n. 14.

9) Suppl. t. I. (Paris 1819) p. 209. n. 82. pl. VII. n. 17.

10) Vide nostram tabulam XXIX. No. 12—22.

11) Tab. XXIX. No. 19.

tina lingua bene conveniret. At tamen non est latina inscriptio, quum pro K et F, quae elementa ibi sunt, C et V scripta esse deberent. An credibile est, errore tantum inscriptionem ad dextram esse directam? Quam si invertimus, rursus Etruscum apparet ꟻ pro forma Umbrica. Praeterea, quod diligenter notatum volo, hic quoque N est transversa, ita ut in hoc ipso titulo qui more Latino directus est, N habeamus etrusce directam, postquam in titulis more umbrico directis N fere ubique observavimus latine directam! Denique in cumulum rerum mirarum, rota tres tantummodo habet radios, quod nuspiam praeterea observatum est.

Qui sequitur nummus [1]) primus litteram N habet ita ut oportuit formatam; terminatio autem -ini rursus est latina, et V etruscum pro umbrico. Postremi duo nummi [2]) rectum quidem exhibent N, sed formam simul ᐸ quae nulla est.

Ex his omnibus quid iam sequitur, nisi ut dicamus, nummos Eugubinos, si non omnes, at certe plurimos fictos esse et suppositos? Accuratius de singulis Romani videant numismatici. Ego ipse quum Romae versarer plus semel perspexi, quam sit difficile in nummis et gemmis vera a falsis discernere, nec raro eandem querelam virorum audivi in hoc genere experientissimorum. Omnino fraus ibi videtur facillima, ubi exacta cognitio hominum est admodum paucorum. Id quod in monumenta cadit linguarum veteris Italiae et in nummos non Romanos. Quae dubia sunt et suspecta ad certorum fidem exiguntur: facere hoc supra in titulis nonnullis potuimus. Sed in nummis Eugubinis aliter habet, quoniam genuini exstare omnino non videntur. Hoc igitur quum animadvertissent falsarii, datum sibi esse campum opinati sunt, in quo fingendi libido tuto excurreret. Formam Ikuvina cognitam habebant ex tabulis, inde pluralem formaverunt incolarum Ikuvini; at neque haec forma neque Iguvins umbrica est, pluralis nimirum in -er exibat, singularis -in ur; deinde si

1) Incerte tav. V. No. 13.; in nostra tabula No. 20.
2) Tav. d'agg.; in nostra tab. No. 17. 18.

urbi Firmo in Piceno assignat, et de causa quidem satis gravi hac, quod ad Firmum repertus est et litteras habuit FIR retro tamen conversas. Nihilominus potiora sunt Iesuitarum [1]) argumenta statuentium, nummum ponderis causa et rationis palaeographicae, non Piceno nec, quod Vermigliolius [2]) voluerat, Ereto in Sabinis vindicari posse. Iisdem, quum propter typos in duobus nummis diversos Etruriam quoque excluserint, una restare videtur Umbria. Huic quidem argumento e diversis typis petito nihil nos tribuimus, quod alterum nummum huc pertinere non credimus et more Etrusco omnes reliquae assis partes eundem typum quem hic habere potuerunt. Sed tamen idem nobis quod Iesuitis videtur propter litteram primam, cuius forma non Etrusca est sed Umbrica. Nummum, si genuinus est, non Firmi esse, satis spertum puto; nam elementum Etruscum itemque Umbricum F nihil quidquam cum Romano F commune habet: urbis nomen secundum inscriptionem Virmum esse debuisset. Quae quum ita sint, re vera quidem nummus non posset esse nisi Umbriae: at non exstitit unquam urbs eius nominis Umbrica. Nec Iesuitarum coniectura, Hispelli esse nummum, habet quo magnopere commendetur. Summt ii, eam urbem scribi potuiss VI31MOIJ. At M pro s non propria est Umbrorum littera sed Etrusca; porro pro rs umbrice q scribendum erat. Inde vero Romanum Hirpellum prodiisset non, ut Assisium ex Arsisium, Hispellum. Denique nec umbricum Ɔ cum Latino h aut f cognatum est: respondet potius Latino v, aut prorsus excidit. Vides igitur, quoquo te verteris, interpretationem difficultatibus impediri, quas elevare ego certe non potui.

Assisii, quod in tabula nigro colore subductum est, inscriptionem quam conspicis tab. XXVII. n. 2. litteris Latinis conceptam, reppererunt.

---

1) p. 85.

2) Opusc. IV. p. 85.

Latium.

Tam in Latio quam in Samnio et in Campania longe maxima nummorum pars, qui inscriptiones habent, admodum recens est. Id et ex typis et inde probatur, quod in plurimis italicum per globulos numerandi systema iam non observatur. Quod ubi est systema, as iam valde reductus conspicitur, et rarae praeterea sunt maiores assis partes. In tabula XXX. repraesentavi ex iis quoque nummis complures, quorum inscriptiones in -o terminantur, partim quod eae urbes facile uno obtutu spectari possunt, quarum nonnullae sunt in Campania; partim palaeographiae causa, quae in singulis quibusdam a Romana recedit. Nihilominus omnes has inscriptiones in -o cusas esse censeo eo tempore, quo iam Romanorum praevalebat auctoritas. Globulis ad unum omnes carent; ipsa autem terminatio respondet Romanorum clausulae um. Ea procul dubio a populo Romae o pronuntiabatur, et priusquam litterae et lingua graecae magis magisque apud Romanos innotuerunt; et m et s in fine verborum frequenter vel in scriptis abiici solebant. Id Scipionum monstrant sepulcra, ubi Samnio[m], Cisauna[m], alia leguntur; porro Ennii versus, Ciceronis, Comicorum. Ruri in Latio et in coloniis Romanis non est dubium, quin ea pronuntiatio vulgo recepta fuerit. Credibile est, linguam rusticam in multis rebus proxime ad oscam accessisse, ita ut altera sensim in alterius fines invaderet.

Assentior Iesuitis, nummos cum inscriptionibus Roma et Romano non Romae esse iudicantibus, sed sociorum circa Romam habitantium. Nam simillimi sunt ceterarum urbium, etiam Campaniae, nummis, sive typos respicis sive palaeographiam; contra a Romano systemate proprie dicto nimium quantum distant.

Reddidi No. 1 et 2 nummum Roma et Romano inscriptum, in quo et formam a litterae et parvum o diligenter notatum volo. Utrumque in aliquot redit nummis, quos infra exhibui.

Aquinum (No. 3. 4.). Frequentes eius sunt nummi.

Inscriptio AQVINO rectius pro adiectivo videtur haberi, ut sunt Caleno, Suesano, Romano. Etenim ipsius urbis nomen non primarium fuisse opinor sed derivatum. Incolae saepius quidem Aquinates appellantur, sed iidem Aquini dicti fuisse potuerunt, quemadmodum praeter Teanenses nomen Teani in usu fuit [1]). Typi ubique gallus sunt et stella cum inscriptione, in altera parte est Minervae caput sine titulo. Iidem typi habentur in nummis nonnullis infra expressis. Nummorum quos repraesentavi prior Berolini exstat, alter Londini; in uno observatu digna est forma litterae A, quae ad eiusdem litterae in tabula Veliterna similitudinem accedit. Elementum Q formam habet Romanam antiquiorem.

Suessa Pometia (No. 5. 6.). Frequens est inscriptio SVESANO, coniuncta ea typis quatuor diversis. Nummi eius urbis olim ab Eckhelio reliquisque numismaticis omnes Suessae Auruncae, quae fuit in Campania tribuebantur. Nec obscura est aliqua typorum quorundam similitudo cum urbium typis circumiacentium. Huic argumento, cuius vim Eckhelius gravissimam esse censebat, addi potest alterum, Suessam Auruncam saepius Suessam tantummodo dictam esse: id quod in Suessa Pometia non est nisi raro factum, quum contra saepius Pometia solum quam Aurunca reperiatur. Itaque titulus simplex Suesano melius et commodius ad Suessam videtur Auruncam referri. Contra multi habentur nummi, in quibus inscriptio consueta SVESANO et Hercules conspicitur cum leone pugnans, in altera parte Mercurii caput cum altera inscriptione, quae modis diversis lecta est: PROROVM. PROROM. PIKROVM. ARBOVM. Praesto mihi sunt ectypa duo Parisiis confecta, tertium Berolinense. Ea legendum esse certissime probant PRBOVM. Nimirum desiderabant numismatici ab initio vocalem, quae inserta lectionum monstra supra posita procreavit. Littera B satis certa aut pro R aut etiam pro K, quod in Romano alphabeto omnino non exstat, habebatur. Eckhelius autem varias lectiones omnes veras esse statuit et nomen

1) Plin. III, 16.

primum pro Mercurii cognomine habuit, tum [1]) pro magistratus Osci designatione.

Sed litterae omnes Romani sunt alphabeti antiquioris. Idem P in Scipionum [2]) est et Furiorum [3]) sepulcris, nec non in aliis monumentis [4]) Romanis; eadem forma cernitur in nummis magnae Graeciae antiquis et in tabula aerea Volsca, quam inter monumenta Osca incerta tab. XXVII. n. 45. exhibuimus. Porro diphthongus OV nequaquam solorum est Graecorum, sed habuerunt etiam Romani prisci, quod ex Scipionum et Furiorum sepulcris constat. Eadem diphthongus in lege Osca Bantiae latine scripta aliisque locis reperitur. Quodsi iam certa est lectio PRBOVM, pariter certum est, litteras PR nominis esse alicuius compendium. Id quod fuerit acutiores videant. In litteris autem BOVM Volscum agnomen Pometia latere posse arbitror. Litterae enim p et b variantur etiam in aliis, quale est embratur pro imperator. Ceterum Pometiam vel Pomptinam totam regionem dictam fuisse novimus, quae Muciano teste apud Plinium [5]) olim urbes triginta tres complectebatur.

Sora (No. 8.). Qui eius urbis nummus exstat Parisiis unicus argenteus a Millingeno [6]) accurate repraesentatus inscriptionem habet CORANO aut, quod ex litterae C forma colligitur, SORANO. Cur spurium esse arbitremur, non est causa. Coloniam Romanam deductam esse Soram ex Livio [7]) scimus a. 301.

Incertiores sunt nummi et partim iam ab aliis reprobati ii, quibus inscriptum: ALBA. ATINOS. AXVR. MINTVRN. *AT-PYNKΩN*, alii.

Inscriptiones Oscae litteris Latinis conceptae Velitris

1) Doctr. I. p. 117.
2) Oeuvr. d'Enn. Qu. Visconti, publ. par J. Labus T. I.
3) Montfauc. Antiq. Expl. T. V. p. I. pl. XVIII.
4) Lanzi Saggio t. I. tab. II.
5) Lib. III, 9.
6) Ancient Coins of Greece London 1831. tab. 1. No. 1.
7) Lib. X, 1.

(Tab. XXVI. No. 24.) et Antii (Tab. XXVII. No. 45.) repertae sunt.

Campania.

Nummis Aquini et Suessae Pometiae proxime accedunt Calium, Suessae Auruncae et Teani Sidicini.

Cales (No. 9. 10. 11.) colonia facta a. 331 [1]). Multi habentur nummi cum CALENO sive id iuxta gallum scriptum est, sive iuxta caput Minervae. In aliis taurus conspicitur, supra quem lyra est et)(caput Apollinis. Nec desunt argentei cum capite Minervae et)(biga. Sub tauro hic illic singulae deprehenduntur litterae ut M (Berol.) B (Londini) Λ (sic) (Paris). Nummos No. 9. et 10. Londino petii. In priore observa litteram O infra apertam, quae plus semel cernitur, ut in nummis Teani et Aeserniae atque in aliis etiam inscriptionibus, qualis est in vase Praenestino: Novios Plautios med Romai fecid [2]) etc. Nummorum, qui taurum portant, stylus Graecam refert pulchritudinem et teneritatem.

Suessa Aurunca (No. 12. 13. 14.). Causas cur nummi cum inscriptione SVESANO ad hanc urbem, non ad Suessam Pometiam referendi esse videantur, supra exposui. Typi capitis Minervae et galli quales in nummo Londinensi No. 12. vides, frequenter occurrunt. Alii typi sunt caput Apollinis, interdum cum titulo SVESANO, et retro triquetra, N, ala;)(taurus cum facie humana, volante supra Victoria; aut caput Apollinis)(vir nudus eques sinistra ramum pendentibus taeniis, dextra alium equum ducens. Nummum No. 13. ipse possideo. Sub tauro singulae sunt litterae: *IΣ* (in Parisiensi). Typi primi et secundi Calenos prorsus aequant, nisi quod emblemata secundaria diversa sint. Inde sequitur, recte eos nummos Suessae Auruncae adsignari. Taurus tertii typi eleganter more Graeco elaboratus est.

Teanum Sidicinum (No. 15—19.). Nummus No. 15.

---

1) Liv. VIII, 16.
2) Lanzi t. I. tab. II. No. XI.

meus est, No. 16. Berolini adservatur, No. 18. 19. Londini. Tituli effigies No. 17. expressa est in nummo Principis S. Giorgio Spinelli Neapolitani. Typi hic quoque discerni debent duo inter se diversi. Aut enim gallus conspicitur et Minervae caput cum latina inscriptione TIANO, stylo et typis iisdem qui sunt nummorum priorum, aut exstat caput Apollinis)(taurus cum facie humana, volante supra Victoria; et hi quidem nummi prorsus accedunt ad nummos Calium et Suessae, quae urbs in suis etiam Victoriam ostendit. Discrimen tamen in eo est positum, quod in illis Latina est inscriptio, in his Osca, **Tíanud.** Praeter hos nummos aeneos argentei reperti sunt, partim eximia arte cusi: caput Herculis iuvenis bovis exuviis tectum)(Victoria in trigis; rursus eorum inscriptio osca est **Tíanud.** Littera i singulare hoc habet, quod parva linea transversa inferne inclinata est. Ea linea in nummo, quem Dux de Luynes [1]) publicavit, falso in sinistram elementi partem translata conspicitur. Denique nummi habentur cum Apollinis capite et tauro, quorum uni parti inscriptum: **Tíanud**, alteri: **Sidikinud.** Et posterior quidem inscriptio olim saepe male lecta et reddita [2]) est ab Ignarra, Sestinio, Mionneto, Combeo. Verum primus vidit Avellinius [3]), cuius tamen in exemplo extrema littera nominis **Sidikinud** desideratur. Equidem ectypum non habeo, qua de causa inscriptionem tantum edo (No. 17.) nummi, quem ipse accurate ad exemplum Principis San Giorgio Spinelli Neapolitani delineavi. Iam -**ud** terminatio quin recte lecta sit, non est dubium: nec minus pro explorato videmur nobis affirmare posse nomen oscum **Tíanud** respondere Latino Tiano, idque rursus Romano Teanum, sive illud est substantivum, sive, quod praefero, adiectivum. Certe pro spuriis ut habeam nummos tantum abest, ut multis de causis genuinos putem. Ita simili ratione in nummis Larini

1) Choix de Méd. grecques par H. Duc de Luynes. Paris 1840.
2) Eckhel Doctr. I. p. 118. Leps. de tab. Eugub. p. 50.
3) Giorn. Numism. III. p. 35.

scriptum legitur *Ladinod*, ut mittam formam *Benuentod* et Akudunniad, quippe quae suspectae mihi sint. Novimus autem in lingua Osca imperativi terminationem in -d, quam litteram lingua Romana abiecit: osce estud, romane esto; osce líkítud, romane liceto. Altera forma quae in -d exit est ablativi, cuius exempla vel in lingua Latina antiquiore supersunt: *dolud malud* in tabula Bantina, romane dolo malo. Tertio loco osce littera -d saepe est pro romana t in tertia persona singularis: *fuid*, romane fuit; *pruhipid*, rom. prohibet. Denique -d reperitur in neutro pronominum: pid, *pod*, eaque littera in Romanis: quid, quod, aliud resedit; in Graecis ubique abiecta est: *τό*, *ἄλλο*, *τοῦτο;* Indica lingua in paucis eam servavit pronominibus, Germanicae stirpis linguae non solum in pronomine sed etiam in adiectivo toto retinuerunt, praeterquam quod ibi partim emollita in s abiit.

Indica, Germanica, Latina adiectiva e contrario ex accusativo masculino litteram m vel n in neutrum adiectivi receperunt [1]). Iam ipse quidem olim coniecturam proposui [2]), Oscam linguam, quum Latina terminationem d in pronominibus tantum firmius teneret quam Sanscritica et Graeca, transitum aliquem ad sermonem Germanicum in eo fecisse, quod hanc clausulam in adiectivis quoque formis adamaverit. Verum nolo tacere, ex maioribus inscriptionibus Oscis frustra confirmationem huius sententiae quaeri; cui sakaraklum in inscriptione Abellae repugnare potius videtur. Neque celare animus est, Umbricam quoque linguam neque illam neque aliam quamcunque terminationem in -d habere. Una inscriptio Samnitica No. 35. in verbis sakaraklúm Búvaianúd exemplum praebere et demonstrare videtur, clausulam in -d adiectivis solis propriam fuisse. Utut est, nummorum in quibus

---

1) Grimm. Grammat. I. p. 825. Bopp. Gramm. reg. 122. al. loc.
2) de Tab. Eugub. p. 52. 53.

Tíanud Sidikinud, et *Ladinod* legitur, interpretationem aliam nemo facile protulerit. Neque enim, quod in mentem quibusdam venit, pro *Ladinod* restitui potest *Larinor;* cui mutationi palaeographia refragatur. Nam D in scriptura Latina nusquam vices tenuit elementi r. Contra sane in lingua in r et l transit, quemadmodum Latini ex medidies, Odysseus fecerunt meridies, Ulysses, pariterque iuxta formas advehere, apud in ore hominum fuerunt et usu arvehere et apor. Et ut concedatur, *Larinor* esse emendandum, etsi hoc mire pro Larinorum idque rursus pro Larinatium esset, qua tandem machina importunum illud Tíanud Sídikinud removebimus? Restat ut has formas in -d exeuntes dicamus ablativos esse, quod per grammaticam Oscam fieri licet. Analogia tamen e reliquis nummis petita incassum hanc interpretationem stabilire conatus fueris.

Iam vero nolo ad eandem normam inscriptiones: Caleno, Tiano, Aisernino, alias exigere. Censeo potius omnes has formas Romanas esse abiecta littera m, unde omnes istos nummos ad aetatem refero Romanam. Et cognitum sane habemus, Aeserniam [1]) circa annum 259 coloniam Romanam factam esse, Paestum intra annos 264—241 [2]); urbes autem reliquae Aquinum, Suessa Aurunca, Teanum, Cales [3]) foedus commune auctoritate Romana ictum produnt manifesto typis communibus galli et capitis Minervae. De titulis denique: Romano et Suesano (Pomptino) non est quod amplius exponamus: ii, ut Aquino, nummorum sunt Latinorum.

Capua. Prorsus alius aetatis nummi sunt Capuae, quibuscum componi ii tantum possunt quorum inscriptio est: Aderl et Kalati. Hae tres urbes nummos habent globulis instructos,

1) Liv. epit. libr. XVI.
2) Liv. epit. l. XIV.
3) Colon. Rom. a. 331. Liv. VIII, 16. eodem tempore ager Sidicinus Liv. VIII, 17. 22.

et eundem stylum veterem ac minus elegantem referunt. Titulus omnium est Kapv litteris Oscis. Quodsi ex quibusdam Kap enotatum deprehenditur, littera finalis detrita videtur fuisse. Litterae a et p in angulo sinistro aliquantum rotundae conspiciuntur. Nummorum, quos ego expressi, alter (No. 20.) Londini est, alter (No. 21.) Berolini. De typis confer quae statim exponentur. Capua olim quasi caput fuit Campaniae aetate Tyrrhenica Vulturnum dicta, ut fluvius Vulturnus, hodie Volturno. Assentior autem Müllero, hanc urbem iam prius a Tyrrhenis occupatam fuisse quam inde ab anno 471. Neque Cato (ap. Vellei. I, 7.) de Vulturno est locutus, sed de Capua, Vulturni expugnatione paullo prius, a. 423., posita. Capua autem in Romanorum potestatem cessit a. 211.; qua de causa nummi intra hoc temporis spatium facti esse debent.

Atella. Nummorum, qui non rari sunt, stylus, pondus, palaeographia accurate cum Capuae nummis conveniunt. Inscriptio in omnibus eadem legitur haec Aderl. Ea lectio est certissima, unde nihili esse apparet priorum editorum scripturam Akeru, quae Eckhelio aliisque causa fuit, ut nummos Acerris adsignarent. Ii Atellae mihi videntur esse, cuius urbis nomen pro molliore Oscorum pronuntiatione, in formis embratur[1]), meddix, fuid, Metabon[2]) Buxentum pro imperator, Mettus[3]), fuit, Metapontum, Pyxus conspicua, Aderla antiquitus fuerit. Urbs antiqua fuit et celebris, quod vel Atellanae Romam inde translatae demonstrant. Bello Punico secundo, quum eandem quam Capua experta esset fortunam[4]), Atellani tum Calatiam migrare coacti sunt: qua de causa etiam Atellae nummi ante a. 211 cusi esse debent, nec stylus aut pondus contrarium est. In litteris

1) Tab. XXX. No. 44. 46.

2) Teste Stephano et Eustathio (ad Dionys. v. 368.) τὸν Μεταπόντον οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον.

3) O. Müll. Etr. I. p. 29. ad Fest. p. 123.

4) Liv. XXVI. 16. XXII. 61. XXVII. 3.

Latinis semper Atella urbs appellata est, quae scriptura ostendit, nomen mature a Romanis usu receptum fuisse, quod appellativum factum est in Atellanorum nomine. Novimus adhuc quod sciam tantum trientem, sextantem, unciam per globulos distinctas assis partes. Eae in una parte omnes caput Iovis habent, in altera alia sunt emblemata. Mirum autem est, in Capuae nummis prorsus eundem capitis Iovis typum reperiri, eumque, ut in Atellanis, diversis assis partibus communem. In partibus aversis contra item singuli nummi sua habent emblemata diversa, quamquam uncia utriusque urbis vel in hac parte uno eodemque modo insignita est. Ea enim tam Capuae quam Atellae Victoriam monstrat coronantem tropaeum, diversis tamen inscriptionibus. Videmus igitur systema quod alienum ab Etrusco et Umbrico cum Romano satis noto congruit. Nam quum Romani unam partem semper prora navis signarent, nummi Campani constanter caput Iovis ferunt, nec discrepant inter se nisi in typis alterius partis; Etrusci contra typos numismaticos omnino non mutabant, Umbri rursus diversos exhibebant in utraque parte omnium sex assis partium.

Calatia tertia fuit urbs Campana, quae quum a. 216 bello Punico secundo defecisset, a. 211 a Romanis simul cum Capua et Atella capta severe punita est[1]). Exstant huius quoque oppidi nummi, eiusdem styli et ponderis. Ii ex norma Campanis usitata in altera parte caput Iovis habent. Rari tamen sunt, nec plures, quantum novi, quam duae assis partes ad hunc diem protractae sunt, unciae scilicet cum Iovis capite et equo, et alii nummi, probabiliter sextantes cum eodem capite et biga. Posterior assis pars commemorata est a Mazocchio[2]); de globulis tamen non monuit. Effigies nostra No.

1) Liv. XXII. 61. Defecere autem ad Poenos hi populi: „Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars", etc. Id. XXVI. 16. postquam de Capuae retulit supplicio: „Atellaque et Calatia in deditionem acceptae. Ibi quoque in eos, qui capita rerum erant, animadversum", etc.

2) Tab. Heracl. p. 534.

26. facta est ad exemplum Parisinum. Inscriptio est osca haec: **Kalati.**; in quo noli negligere, in titulis **Kapv. Aderl. Kalati.** ubique terminationem deesse, quae aut urbis designabat nomen, aut, quod probabilius duco, formae adiectivae [1]) index erat. Et hanc alteram sententiam ipsa suadet terminationis recisio; quidni enim litteram *a* ubique adiecissent, si urbium nomina intelligi voluissent?

Duae a scriptoribus commemorantur Calatiae, de quibus videas, quae scripsit Pellegrinius [2]). Una trans Vulturnum, altera cis Vulturnum sita erat, illa Galazze hodie appellata, haec Caiazzo. Sed vereor, ne in illis scriptorum locis, in quibus de urbe cis Vulturnum sita loquuntur, Caiatia potius legendum sit, secundum lapidem pretiosissimum a F. Danielio [3]) editum, in quo PAT[ronus] MVN[icipii] CAIAT[ini] nominatur. Lingua italica saepissime quidem l romanam cum i commutavit, quando post p, f, c, al. posita erat, ut in piano, fiamma, chiaro, macchia, pro planus, flamma, clarus, macula, sed conservat inter vocales, ut in calamo, palazzo, Nola, Salerno. Rectissime igitur Galazze derivatur a Calatia; Caiazzo vero antique Caiatia sonare debebat. Accedit quod, si duae eiusdem nominis urbes tam vicinae fuissent, veteres cognomine aliquo sane distinxissent. Facile in nostris scriptorum manuscriptis Caiatia urbs propter vicinitatem cum Calatia confundi poterat. Egregie vero nostram confirmant sententiam nummi, qui iam ab Avellinio [4]) et Millingeno [5]) alteri Calatiae attributi sunt et epigraphen CAIATINO luculenter monstrant.

---

1) Error est Lanzii II. 598. ed. I. **Kalatia** laudantis, nam Mazocchi, quem testem affert, recte **Kalati** exhibuit.

2) Discorsi della Campania felice. ed. II. tom. I. Disc. II. No. XXXII. p. 422. sqq.

3) Le Forche Caudine. p. 11.

4) Ital. vet. numism., vel Giorn. numism. distr. V. et VI. Addenda p. 97., et ibidem Supplem. ad vol. I. p. 6.

5) Recueil de quelques médailles grecques inédites. Rome 1812. tab. I. No. 1.

Nummnm ab Avellinio p. 97. primum ex Museo Wiczai, deinde a Millingeno editum et nunc in Museo Parisino asservatum, repraesentavimus in tabula nostra No. 7. Secundus, quem Avellinius in Supplemento edidit o litteram infra apertam habet. Tertius ineditus Berolini asservatur. Mionnetus[1]) duas urbes Caiazzo et Galazze, errore ut videtur, inter se commutavit. Nummi Caiatiae vel Caiatii gallo et capite Minervae insigniti sunt et prorsus accedunt ad nummos Calium, Teani, etc.

Nuceria Alfaterna. Nummi globulis carent; stilus est fere Graecus, non absimilis nummis Suessae, Calium, Teani, exceptis tamen iis, quorum insigne gallus est. Inscriptiones sunt duplices, graecae vel oscae.

Iam quod ad Oscas attinet inscriptiones, vehementer vereor ne falsarii linguae Oscae et palaeographiae obscuritate ad decipiendos talium rerum amatores abusi sint. Certe magna cautione in illis titulis diiudicandis opus est. Nummus asservatur unus Parisiis, Londini alter, qui ambo ex una eademque forma prodierunt, certissimeque spurii sunt. Id ita esse, inscriptione demonstratur, quam tab. XXX. No. 29. accurate repraesentavi. Ea haec est: **Nueirkumal av num**, in quibus littera tertia e habetur loco elementi v litterae; **irk** ordine poni debebant inverso **kri**; a prius prorsus male fictum est, alterum linea caret media. Tum sequitur ɔ, i. e. Romanum V pro 8, quod Romanis est F. Hic gravis error etiam ab aliis falsariis in procudendis nummis Iguvinis admissus est. Mox conspicitur certissime signum, quod littera omnino non fuit; denique terminatio est num, quae clausulam nominis Alafaternum efficeret. Inter v et **num** litterae **ater** omnino desunt. Quae quum ita sint, non errabit, qui nummos illos male fictos esse censeat. Idem de aliis duobus nummis statuendum videtur, qui rursus arctius inter se sunt coniuncti, diversae tamen fabricae, Berolini unus, quem repraesentavi-

1) Supplém. tom. I. p. 232.

mus No. 30., alter Parisiis. Eorum quoque inscriptiones pravae sunt et distractae, quales ab antiquis factas nusquam vidimus. Suspecta in iis forma est elementorum, quae apertissima sunt, et in Berolinensi quidem titulus incipit a **Nuvkrnum**, omissa male vocali **i**; tum est a distractum, dissimillimum illud loculo quadrato, qui alterum a esse debet. Post haec littera **f** recte est formata, praeterquam quod parva linea in parte superiore contra morem cernitur; eam litteram excipit continuo **t**; nam colli angulus latius promotus elemento **a** spatium demit, licet is angulus dividi videatur ita, ut **n** prodeat. Ultima est littera quae et **e** et **r** esse queat, ante terminationem **num**. Ita hic quoque elementum deest unum prorsus necessarium. Nec minus contra iustum ordinem in exemplo Parisino **alaftvn** scriptum est. Adeo autem litteras a veteribus susque deque habitas esse, nemo facile credet, nec genuinos nummos istos qui sobrie spectat quisquam ducet. Iam plura exempla huius nummi mihi non sunt praesto. Non dubito tamen nummos eos, quibus ex aliorum sententia [1]: **Nuvkrinum Alafatrnum** vel **Nuvirkum Alav... num** inscriptum est, item spurios esse iudicare. Exstant praeterea nummi parvi Eckhelio nondum cogniti, ubi est Apollinis caput et in altera parte canis investigans, cum inscriptione: **Nuvkrinum Alaf...rnum.** Eorum duo Parisiis asservantur, qui genuini videri possunt (tab. XXX, 32.); sed suppositus procul dubio unus est Londinensis (tab. XXX, 31.), qui eosdem sane typos monstrat, sed solus inscriptionem in duas partes divisam. Incipit illa in capitis parte egregie elaborati, ubi est: **Nuvkrinum.** Prius **n** dextrorsum spectat non sinistrorsum, ut debebat. Elementum tertium prorsus etruscum est, non oscum. In altera parte legitur **Alafaternum** ita quidem, ut canis caput infra ponendum sit ei qui initium tituli legere vult. Quod si minoris videtur esse momenti, longe gravius est quod

1) Eckh. Doctr. I. p. 115.

in **Alafa** quatuor litterae falso formatae sunt et dextrorsum spectant Romano more, quasi **Afala** legendum sit. Denique **m** finale utriusque partis manifesto in litteras **i** et **n** disiungitur. Haec aperta fraus suspecta reddit etiam Parisina duo exempla, nec factum est nisi errore falsarii, ut in uno ex illis nummis manifesto **Alaf..krnum** legatur pro **-ernum**. Quodsi de septem nummis Nucerinis osce inscriptis minimum quinque certissime pro supposititiis habere debemus propter argumenta palaeographica, quibus nec falsarii occurrerunt nec critici animum adverterunt, satis iam videtur dubium esse, num ullos unquam nummos Oscos Nuceria habuerit. Nova accedit difficultas ex nummis Teani; qui quum manifesto genuini sint, ad eorum analogiam exspectandum erat in Nucerinis legi **Nuvkrinud Alfaternud**. Habes tamen eandem clausulam **um** in nummis Compulteriae, de quibus infra dicemus. Denique etiam **úv** exspectaveris pro **uv** ex analogia verborum: **Núvlanús** (Nolanus), **túvtíks** (tuticus), **Búvaianúd** (Bovianum), **íúvkiíúí**. Quapropter idem fere statuendum videtur quod in Iguvinis. Soli graeci nummi suspicione exemti sunt; atque unica sane Nuceria urbs esset, in qua tam osci quam graeci nummi cusi essent. Nuceria, ut Nola, Puteoli, Dicaearchia, ex iis procul dubio est urbibus, quarum quum incolae primarii Tyrrheni [1]) fuissent, paullatim, uti in Graecia accidit et partim in Etruria, Graeci successerunt. Atque hoc Nuceriae ita fieri, in proxima Cumarum, Neapolis, aliarum urbium Graecarum vicinia consentaneum erat. Nuceriam primum a. 307 a Romanis captam legimus [2]). Tum bello Punico secundo ab Hannibale occupata est [3]); post quem casum dili-

---

1) *Νουκρία πόλις Τυῤῥηνίας* ap. Philistum, v. Müller Etrusc. I. 168. 170. De Nola a Tyrrhenis constituta (Solin.) Niebuhr. I. 74. Müller I. p. 166.

2) Liv. IX. 41.

3) Liv. XXIII. 15. Dilapsi omnes, quorumque hospitia aut fortuitus impetus animi tulit, per Campaniae urbes, maxime Nolam, Neapolimque. Cum ferme triginta senatores, ac forte primus quis-

genter observa incolas per Campaniam sparsos Nolam imprimis fugisse atque Neapolim, quod eae urbes communis originis Graecae vinculo cum illis cognatae essent. Exclusi illi a Capua Samnitica, recepti sunt a Cumis Graecis. Anno ante Chr. 210 Nuceria diruta est; incolae Atellam novam sedem quaerentes migraverunt. Nummos nec aetati nec systemati Capuae, Atellae, Calatiae adsignari posse, eorum stilus, typi, globulorum defectus clarissime monstrant. Atqui illarum quas dixi urbium nummi ante a. 211 cusi sunt. Hinc sequeretur, ut Nucerini ad tempora referri deberent posteriora, quibus urbs iam diruta erat: id quod porsus est incredibile.

Compulteria. Nummi qui huic urbi adscribuntur, eosdem prorsus ostendunt typos, quos osci Teani, una in parte caput Apollinis, in altera taurum et supra volantem Victoriam. Ab Ignarra, Pellerinio, Eckhelio [1]), Avellinio [2]) epigraphe **Kumelternum** legebatur, et nummi Cumis ad Liternum olim attribuebantur. Rectius legerunt Uhdenus, Sestinius [3]), Schlichtegrollus [4]), et post eos Avellinius [5]), qui sex exempla huius nummi diversa laudat, quorum epigraphe est **Kupelternum**. Exemplum, quod in nostra tabula No. 34. exhibuimus, Parisiis exstat. De Compulteria vel Combulteria urbe, quae a Livio [6]) memoratur, et cuius incolae a Plinio [7]) Cubulterini nominantur, adeas

---

que, Capuam petissent, exclusi inde, quod portas Hannibali clausissent, Cumas se contulerunt. Liv. XXVII. 3. Nucerinos et Acerranos querentes, ubi habitarent, non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta, Romam Fulvius ad senatum misit. Acerranis permissum, ut aedificarent, quae incensa erant: Nucerini Atellam, quia id maluerant, (Atellanis Calatiam migrare iussis) traducti.

1) D. N. I. p. 111.

2) Ital. vet. numism. Distr. III. p. 33.

3) Lett. numism. tom. VIII. p. 136.

4) Annalen. P. II. p. 16.

5) Addenda ad vol. I. Ital. vet. num. p. 98. et Supplem. ad vol. I. Ital. vet. num. p. 7.

6) Lib. XXIII, 39. XXIV, 20.

7) H. N. III, 19.

Pellegrinium[1]). Compulteria vel Combulteria Romane, Cupelteria vel Cupelternum, i. e. Compulterinum Osce pronuntiata urbs videtur fuisse.

Nummi sunt perrari, quibus **Akudunniad** inscriptum est. In una parte Minervae caput habent idem quod est in nummis gallo signatis, praeterquam quod dextrorsum spectat. Hoc caput indicaret aliquam cum Romanis nummis affinitatem; post id globulus est margine duplici insignis, in altera parte miles pateram offerens. Suspicionem in his quoque epigraphe movet. Eckhelius[2]) et Avellinius[3]) Acherontiae Apuliae tribuunt; Lanzius legit **Akurunniar** et explicat de Acerronia Lucaniae quae commemoratur in Itinerario Antonini; terminationem ar loco as pro Osco habuit genitivo. Sed lectio quidem **Akudunniad** certa est; mira tantum forma alterius u in nummo Londinensi No. 35. nec minus insolens punctum in vocabuli fine apertum. Haec utut sunt, vehementisse nomen offendit propter formationem. Terminatio **ad**, osce quidem non potest indicare quidquam nisi ablativum; tum **n** duplex est inauditum; quod iam restat nominis vix alio potest referri quam ad Aquiloniam Apuliae (hodie Acedogna). Ea tamen urbs iam a. 293 eversa est et combusta[4]). Nec permittit nummorum stilus, ut antiquiores esse statuamus. Tantummodo globulo ad Capuae, Atellae, Calatiae nummos accedunt; reliqua fere omnia conveniunt cum Teano, Calibus, cet.

Samnium.

Aesernia multos habet nummos aeneos, qui stilo, scriptura, lingua epigraphes ad nummos Calium, Teani, cet. proxime accedunt. Est in iis Apollo et in altera parte Tau-

---

1) Discorsi della Camp. fel. tom. I. Disc. II.
1) D. N. I. p. 140.
3) Ital. vet. numism. Distr. III. p. 47. Addenda p. 101.
4) Liv. X. 44.

rus [1]). Typi alii notissimi biga sunt et Vulcani caput (No. 37. 38.). In illa parte legitur AISERNINO, ubi est A quod iam in AQVINO et titulis antiquis Romanis commemoravimus. Etiam O infra apertum passim conspicitur, quale vidimus in CALENO. Pariter forma adiectivi in o exiens cum altera, quam diximus, congruit. Pro ea tamen errore semel AISERNNIO et item semel AISERNIO scriptum est. Contra inscriptio altera VOLCANOM iam diu misere criticos exercuit. Et Lanzius quidem pro cognomine habuit nominis Aisernino interpretatus Aisernin ôm Volcanôm genitivos esse pluralis. At Aisernino ubique sine littera m scriptum est, Volcanom contra eam ubique additam habet. Porro non opus erat Aeserniam accuratius designari, nec quid significet tandem cognomen illud intelligitur. Epigraphen ad Vulcani caput pertinere et res ipsa docet et inde apparet, quod etiam alibi etsi perraro typi inveniuntur (Minervae caput)(Aquila cum serpente Parisiis No. 39.), ubi inscriptio Volcanom deest. Eckhelio [2]) nec clausula o nec om romana est visa, sed eas ut formas Tutere, Ikuvini, Tiati, Akeru, Larinor et Larinom, Beneventor, Tianur, Akurunniar, Viteliu, Viteliur, Saphinim, alias, idiotismos esse credidit linguae barbarae eius tractus. In his plerisque omnibus quid vitiosi insit, nos iam supra exposuimus. O. Müllerus Etrusc. I. p. 34. Volcanos legit, ita ut s more Etrusco esset formatum et Graecorum veterum. Id quum per se admitti non possit propterea quod lingua epigraphes latina est, in qua nunquam M pro s fuit usurpatum, tum forma crurum late distortorum minime aequat elementum vetus s; denique, id quod longe est gravissimum, in iisdem nummis nota s in AISERNINO semper per S, nunquam per M expressa habetur.

Nummi non sunt antiquiores anno 259 ante Chr., quo anno Aesernia Romana facta est colonia [3]). Id confirmat sti-

---

1) Eckhel. I. p. 102. Combe Nummi vett. popp. Mus. Brit. tab. II. No. 3. p. 19. Vide nostram tab. XXX. No. 36.

2) Doctr. I. p. 128.

3) Liv. ep. 16. 72. Lib. XXVIII. 10.

lus typorum, forma et palaeographia inscriptionum, in quibus maxime notari debet vetus Romanum A. Colonia igitur nummos ea qua tum utebatur lingua cudendos curavit. Volcanom quin recte lectum sit, non est dubium. Quapropter hoc unum quaeritur, qua ratione accusativi forma pro casu recto explicari queat. Iam secundo ante Christum saeculo, id quod supra monui, Romae etiamtum lingua loquebantur, in qua terminationes nonnullae vocabulorum minus integrae pronuntiabantur quam postea. Huc referendum inprimis hoc est, quod mature s et m nominativi et accusativi abiiciebantur, quae post demum rursus sunt receptae. In Scipionum monumentis est Lucio nominativus iuxta Lucius; ibidem m accusativi non ubique, sed saepe tamen abiectum est. Et per quam breve tempus lingua ad Graecae exemplum conformata et a doctis in scribendo usurpata linguam rusticam reprimere potuerit, luculenter inscriptiones ostendunt, in quibus mature a cultiore sermone recessum est. Atque ipse adeo accusativus in rustica illa lingua magis magisque ad nominativum accedit, isque primis iam post Christum saeculis ita pro casu habitus est recto, ut in inscriptionibus interdum forma accusativi alicuius tamquam esset nominativi, rursus per casus suos variaretur [1]). Tum linguae quae dicuntur romanicae Itala, Francogallica, Hispanica usu communi accusativum receperunt pro nominativo [2]). Il libro exempli causa non est factum ex ablativo libro, sed ex libro[m]; speme non est ex spe sed ex spem; petto dicitur, non pettore, a pecto[s] accusativo; apertius etiam id est in plurali propter s: les livres (illos libros), les femmes (illas feminas), los caballos (illos caballos); porro moi francogallicum non descendit ab ego sed a me, quemadmodum Britanni quoque saepe me pro I ponunt; rien a rem, al. Linguas autem indogermanicas omnes proprium sibi id habere, ut sensim accusativum faciant casum rectum, supra iam tetigi, ubi de ac-

1) Gruter. Index grammat. s. v. casus mutatio.
2) Diez. Gramm. der Roman. Sprachen. P. II. p. 5. sqq.

cusativo masculini in -m dixi, qui nominativus factus est neutrius pro -t vel -d.

Idem igitur mature in lingua Romana rustica accidisse, eundemque usum saeculo tertio a Romanis coloniis in provincias translatum esse statuerim. Nec ad Oscam sed ad Romanorum linguam rusticam, qua tum etiam in scribendo utebantur per provincias, formam Volcanom retulerim. Et ab hoc ipso Volcanom commode nomen quod hodie in Italia in usu est Volcano repetitur. — Tab. XXX. Vulcani caput)(biga No. 37. a Londinensi, No. 38. a Parisino nummo eiusdem prorsus formae desumtum est. No. 39. Parisiis asservatur.

Beneventum. Nummus Londinensis (tab. XXX. No. 40.), qui epigraphen Benuentod habet, mihi quidem admodum dubius videtur esse. Altera lectio Beneventod [1]) errori tantum legentis deberi videtur. Combius [2]) eundem quem repeto nummum descripsit [3]). Müllerus [4]) litteras pro Graecis habens legit Beneventor. At D neque apud Romanos nec apud Graecos nec uspiam est pro r; sed tum R scribendum erat, quod altera nummi pars ostendit in: PRO POM. Omnino quid Graecis fuerit negotii in colonia Romana, obscurum est. Testibus Livio [5]) et Plinio [6]) urbs ante deductam coloniam Romanam Maleventum appellata est; Romani eam tenuerant ante bellum Punicum primum inde ab a. 269 [7]). Hinc efficitur, ut Romanus nummus esse debeat. Et litterae sane sunt Romanae, sed repugnat huic origini terminatio -d. Litterae in altera parte Propom confictae videntur ad nummos Suessae Pometiae, sed male lectae. Apollinis caput monstrant Suessa Aurunca, Teano, Nuceria; equum

1) Eckhel. Praefat. in Symbol. Lanzi II. p. 601. ed. I.

2) Nummi qui in Mus. Brit. adserv. p. 20. No. 4.

3) Alterum Avellinius (Ital. vet. numism. p. 18. 96.) vidit in Museo H. Sanclementii.

4) I. p. 27.

5) IX. 27.

6) III. 16.

7) Liv. epit. 15.

Calatia; pentagramma denique quod supra conspicitur rursus in Nuceriae Alfaternae nummis interdum habetur, in quibus etiam equus est.

Italicorum nummi.

Pro explorato habemus, nummos satis multos, quibus inscriptum est osce: G. Paapi G. Mutíl Embratur et Víteliú, aut latine: Italia ad tempora belli socialis pertinere. Id satis certe typi docent et epigraphae [1]). Sunt autem ii nummi inter pretiosissimos, quod aetatem certe definire possumus ann. 91—88 ante Christ. nat. Porro ex iis intelligimus, Samnites non in sola Campania lingua osca usos esse. Nam etiamsi Campania, praesertim ea quae Samnites habebat incolas, partim certe bello contra Romanos gesto interfuit, tamen Campani ipsi a nullo scriptore inter socios appellantur. Quapropter prorsus est incredibile, in Campania nummos illos osce inscriptos cusos esse. Potius Corfinii, in nova regni sede Italica dicta in Pelignis, vel Boviani, quae altera erat sociorum arx firmissima, id fieri debuit. Certe consentaneum est, rem ita institutam fuisse, ut nummi foederis, si in Campania cusi essent, a magna sociorum parte, nominatim a Samnitibus legi possent. Atque id eo est verisimilius, quod in permultis nummis ducis Samnitici nomen G. Papii Mutili oscis litteris scriptum videmus.

Typi si spectantur, nummi sedecim, quos collectos ex museis habeo, sex ostendunt formas inter se diversas:

1. Miles qui porcam tenet et ab utraque parte quaterni milites, qui gladios ad suem inclinant; post hasta, ut videtur, est erecta)(Caput Italiae muliebre laureatum cum epigraphe ITALIA (Tab. XXX. No. 41.). Hunc typum iam Eckhelius illustravit Ciceronis loco [2]): „In eo foedere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adolescens nobi-

1) Eckhel. Doctr. I. p. 103 sqq.
2) de Invent. II. 30.

lis porcam sustinuit iussu imperatoris." Octo milites interpretatus ille est de octo foederatorum ducibus, quorum nomina proposuit Velleius [1]). Caput coronatum nonnulli pro Apolline habuerunt, sed obstat monile et inauris. Alii de Bellona cogitaverunt argumento sane nullo. Eckhelius sententiam non proposuit. Si reputamus, socios id habuisse consilii, ut Italiam conderent communem et in loco Romae quae una regnabat ponerent, eos ideo urbem foederis primariam Italicam nuncupasse, se autem ipsos Italicos, in nummis non intelligitur, cuius dei deaeve repraesentata sit imago, praeter ipsius Italiae, praesertim quum id nomen adscriptum legatur. Etiam certius reliqui typi hoc demonstrant.

2. Mulier armis insidens, dextra hastam tenens, a Victoria coronatur; infra in nonnullis exemplis ITALIA)(Caput muliebre laureatum, infra aliquoties ITALIA (No. 42.).

3. Vir seminudus galeatus, dextra hastam tenens, iuxta taurus recumbens)(Caput muliebre laureatum cum epigraphe osca: **Víteliú** (No. 43.). Apertum est, hic non de imperatore aliquo Vitellio aut Veturio cogitandum esse, quod Eckhelius aliique voluerunt; sed illud nomen oscum est Italiae. Etymologia nominis Italiae a vitulo ductae nota est [2]). Quae autem clausula in ú difficilis olim visa est explicatu, hodie non amplius parat negotium. Nam ú cum puncto, quale in nummis omnibus cernitur, respondet in latina Oscorum litteratura vocali o; eam autem o oscam pro romana a positam esse in nominativo singularis feminini, constat ex tabula Bantina, ubi exempli causa legimus: molto etanto estud pro: multa tanta esto [3]). Caput laureatum idem est atque id, iuxta quod scriptum Italia, i. e. caput Italiae sub mulieris forma repraesentatae. Atque iam hinc certo concluditur, nummum a Swintono primum prolatum, in quo est:

---

1) II. 16.
2) Varro R. R. II. 1. 9.; Colum. VI. praef.; Festus, alii.
3) Klenze Kleine Schriften p. 43. 44.

Viteliud [1]), supposititium esse. Militem equidem cum Eckhelio Martem esse censeo, deum primarium Sabinorum et Samnitium; iam Eckhelius Strabonis [2]) laudavit locum, quo narratur, Martem Sabinos duce tauro in terram Opicam misisse, ubi ut considerent. Inde fortasse etiam urbs Samnitium Bovianum nomen duxit, in eaque-urbe coniicias nummos cusos fuisse bovem recumbentem iuxta Martem monstrantes. In ipso Boviano oscam litteraturam usitatam fuisse, etiam titulus demonstrat oscus No. 13., prope Bovianum repertus. Contra veri est simile, nummos cum epigraphe latina Italia Corfinii cusos esse in Pelignis, ubi latine videntur scripsisse. Nam licet minus cognita sit belli socialis historia, propterea quod Livium non habemus integrum, tamen sociorum duas videmur partes maiores recte distinguere, unam populorum septentrionem versus habitantium, quorum principes erant Marsi, alteram australem ducibus Samnitibus. Socii ea de causa duos fecerunt consules vel, ut ipsi quidem Samnites nominabant [3]), imperatores. Q. Popaedium Silonem, Marsum, et Gaium Papium Mutilum, Samnitem. Terras autem sociatas bifariam diviserunt, ita ut pars borealis Marsis cederet, australis eaque multo maior Samnitibus. Cum hoc convenit, quod Romani duos miserunt exercitus; unum sub P. Rutilio Lupo, contra Marsos, alterum L. Iulio Caesare duce contra Samnites. Omnino bellum cum his gestum longe videtur gravius fuisse, quamvis interdum totum bellum propter viciniam et primam originem Marsicum appelletur. Certe diutius est tractum et pertinacius. Nummorum autem si non omnes, at plurimi certe huc pertinent. Apud Diodorum [4]) pro C. Papio Mutllo Imperatore

---

1) Eckhel. I. p. 103. 105.

2) Libr. V.

3) Liv. VIII, 39. IX, 1. 3. et saepius X, 29. al. Epit. lib. XI. Oros. V, 15.: „Postqnam sibi Samnites Papium Mutilium imperatorem praefecerant."

4) Excerpt. XXXVII, 1.

legitur *Γάϊος Ἀπώνιος Μότυλος* qui error codicum ex nummis debet corrigi.

4. In nummis eiusdem cum prioribus stili legitur: **G. Paapi G. Mutíl embratur** (No. 44.), i. e. Gaius Papius Gaii filius Mutilus imperator. Ea epigraphe in duas partes divisa est. In una rursus foederis ritus spectatur, sed bini tantum sunt milites pro octonis; qui bini fortasse Samnites repraesentant et Marsos, quippe qui populi essent principes. In altera parte caput habetur galeatum. Ducis quidem imago hic non est ficta; caput est iuvenile, sed vix mulieris. Quodsi re vera non est mulieris, pro Martis habuerim capite.

Ceterum morem oscum, ex quo patris nomen littera initiali sola indicabant, ex titulis Pompeianis cognitum habemus.

5. Ambo Dioscuri equis vecti; infra: **G. Paapi G.**)(Caput galeatum cum osca epigraphe **Mutíl** (No. 45. 47.). In his caput muliebre probatur torque, inauribus, longis capillis, quapropter Italiae esse statuo. Confirmat sententiam nummus eiusdem typi alius, in quo pro **Mutíl** sub capite legitur Italia latine scriptum (No. 47.). Praeterea in utroque nummo pone caput corona victoriae testis expressa est, quam imponi in aliis vel iam impositam vidimus. Sed multa simul concurrunt, quae dubiam huius nummi fidem faciant. Primum prorsus est inauditum, in utraque eiusdem nummi parte diversam esse epigraphen, ut hic osca est et romana. Deinde galea habet in quo offendas; ea Martis similis est galeae, sed Italia in reliquis nummis corona tantummodo ornatur. Non minus mira est artis aliqua prae ceteris perfectio in hoc exemplo conspicua atque epigraphe mutilata, quum Mutilus in altero nummo prorsus desit, in altero certe solemne additamentum imperator non legatur. Denique, quod longe est gravissimum, nummus in utraque parte accuratissime cum gentis Serviliae romanae nummis congruit. Ea similitudo iam Eck-

helium [1]) magnopere perturbavit, licet etiam maior sit, quam ille perviderat. Nam in una nummi parte pro C. SERVEILI M. F est G. Paapi G., in altera pro Roma non ut in aliis Mutíl, sed Italia.

6. Non minus denique suspectus mihi videtur nummus esse, qui in una parte bestiarum pugnam ostendit. Contendere inter se primo aspectu leonem credas et crocodilum [2]), sed probabilius pro tauro habeas Samnitico et lupa Romana. Infra legitur G. Paapi, patris nomine contra morem non addito. In altera parte caput est hedera, non ut alias lauro, cinctum. Mulieris caput esse, nulla re indicatur; pro Bacchi potius habeas. Epigraphe est: Mutíl embratur. Unum exemplum Londini asservatur (v. tab. XXX. No. 46.), alterum dux de Luynes [3]) possidet.

Praeterea tanquam certissime spurium nummum, cui inscriptum est Viteliud, reprobavimus. Idem statuendum in unicis, quorum epigraphae sunt G. Mutil)(Safinim [4]) vel Viteliu)(Ni. Luvíi Mr [5]).

Itaque duo tantummodo restant certi typi, quorum qui habet inscriptionem romanam Italia, Corfinii fuerit; alter, cuius duo sunt exempla, osce inscriptus ad urbem Bovianum referendus videtur esse.

Nummi transapennini.

In nummis transapenninis stilus, pondus, scriptura atque adeo divisio a cisapenninis longe sunt diversa. Nullus omnino

---

1) Doctr. I. p. 106.

2) Crocodilum videre sibi visus est Eckhelius, malo usus ut arbitror ectypo. Nam obstant pedes contracti, cauda tenuis, et costae. Caput sane maius est, sed lupinum ex artificis mente certissime repraesentat.

3) Choix de médaill. grecques tab. I. No. 7.

4) Eckhel. p. 103.

5) Eckhel. ib.

locus est in oris transapenninis inde a Piceno, ubi nummi osca scriptura insigniti cusi aut tituli osce scripti reperti sint. Contra inscriptio ad Amiternum reperta latina est; nummi autem Samnitici, Corfinio fortasse tribuendi, item latini sunt. Aquilonia, si eius urbis nummi essent Akudunniad inscripti, sola obstaret. Accedit igitur hoc argumentum iis, propter quae hunc nummum spurium esse suspicati sumus. Scriptura in nummis transapenninis prorsus latina est aetatis veteris aut graeca eiusdem temporis. Pro incolarum indole in regionibus australibus ea paulatim formas assumsit graecas posteriore aetate usitatas; idem in latina factum est scriptura per terras septentrionales. Stilus ubique priscus est, veteri graeco similis. Nummi omnes globulos habent; atque inter assis partes ubique quincunx est pro semisse, qua in re luculenter distinguuntur nummi cisapennini et transapennini. Id discrimen primum docti Iesuitae [1]) animadverterunt. Cernitur in Larini quoque, Teatis et Orrae nummis, quos Iesuitae non commemoraverunt.

Hadria Piceni. Demonstratione non eget, nummos HAT inscriptos Hadriae esse Picenae, non urbis eiusdem cognominis ad Padum sitae. In typis more umbrico magnopere variatum est. Seriem integram vide in Iesuitarum opere [2]); ego satis habeo unum expressisse nummum biuncem, ut scriptura prorsus latina cognoscatur, cf. tab. XXX. No. 48.

Vestini. Eorum vel capitis Pinnae Vestinae [3]) nummi videntur esse cum epigraphe VES.

Teate Marrucinorum. In quincunce noctuam habent et in altera parte Minervae caput. In diversis assis partibus diversi sunt typi, v. c. caput Herculis)(leo gradiens in triente [4]). Conspiciuntur tamen etiam in minoribus assis par-

---

1) Aes grave p. 105.
2) Aes grave Cl. IV. tab. II. III. p. 110. 111.
3) Vitruv. VIII. 3.
4) Eckh. I. p. 100.

tibus Minervae caput et noctua. Epigraphe omnium eadem est TIATI. Nummus quem repraesentavimus tab. XXX. No. 50. Berolini asservatur.

Larinum Frentanorum. Nummi quibus inscriptum est *Ladinod*, quum quincuncem habeant eaque quae propria sunt transapenninorum, Larino sunt assignandi. Nec offendit, quod in lingua inter d et r variatur. Insignes autem nummi sunt terminatione certe osca -*d*. Osci igitur hos nummos signavere incolae neque etiam a quoquam traditum est scriptore, Larinum coloniam Romanam unquam factum esse. Larinates interdum Frentanis adnumerantur; interdum ab iis seiunguntur [1]).

Müllerus Larinor legere mavult, quod tamen falsum esse palaeographia demonstrat certissime. Nec facilis foret explicatio terminationis -r.

De neutro in -*d* exeunte iam supra dixi, ubi de nummis Teani actum est. Nummus Musei Chaupy in quo est *Ladinom* [2]) suspicionem fraudis movet. Pondus nummorum leve est, nummi igitur iuniores sunt.

Minervae caput quincuncis in Teatis nummis et Luceriae redit. Sextans qui est Londini alios habet typos. Rursus alii ab Eckhelio afferuntur, ut Caput Herculis)(Centaurus citato cursu, ut videtur in triente. Quincunx, quem exprimendum curavi, tab. XXX. No. 51. Berolini asservatur.

Luceria Apuliae. Mature cum Romanis foederata[3]), a. 312 colonia Romana facta est[4]). Nummi in quincunce Minervae caput ostendunt, in aliis assis partibus alios typos, ut rursus caput Herculis in triente qui Berolini est. De variis nummorum reductionibus, quas dicunt, vide Iesuitarum opus[5]). Epigraphe est LOVCERI; de veterum Romanorum diphthongo

---

1) Liv. XXVII. 43. Caes. b. gall. I. 23.
2) Eckhel. p. 107.
3) Liv. IX. 2.
4) Liv. IX. 26.
5) Class. V. tab. I. p. 114. sqq.

ou consule, quae supra ad nummos Suessae Pometiae annotavi.

Ad nummos transapenninos referri deberent etiam ii, quibus ORRA inscriptum legitur. Dubia tamen mihi eorum fides est propter has causas. Exemplum, quod expressi, quincuncis Berolinense (tab. XXX. No. 53.) aereum est et modulum haberet omnium quos novimus, minimum. Hinc aetatis esse nummos sequeretur satis recentis, qua cum origine tamen stilus non convenit. Sunt exempla, in quorum una parte ORRA litteris latinis, in altera *ΔΩ* graecis [1]) elementis scriptum est. Rursus aliorum epigraphe graeca habetur haec: *ΟΡΡΑ* et *ΛΟΚΡΩΝ*. Talis vero variatio, ubicunque est, offendit; eius ne unum quidem certum habemus exemplum in Italia. Nec obscurae sunt eius rei causae. Tum non intelligitur, quo modo littera romana R, quae graeca prisca esse nequit, Locris tradi potuerit, nisi id per coloniam romanam factum esse statuas, de qua nihil unquam traditum est.

Lucania. Posidonia, Paestum. Nummi antiquissimi epigraphas habent: Pos. Pose. Posei. litteris graecis vetustis. In reliquis recentior aetas cum litterarum formis congruit. Urbs a. 274 colonia romana [2]) facta est. Ab eo inde tempore nummi habentur, quibus inscriptum est: Paistano, Paist., Paest., al. [3]). Et priores quidem stili

---

1) Eckhel. I. p. 183.

2) Vellei. I. 14. Liv. ep. XIV.

3) Classicus ille est Aristoxeni locus de mutatione incolarum Paesti, ap. Athen. XIV. p. 632. A: *Διόπερ Ἀριστόξενος ἐν συμμίκτοις συμποτικοῖς, ὅμοιον, φησὶ, ποιοῦμεν Ποσειδωνιάταις, τοῖς ἐν Τυρσηνικῷ κόλπῳ κατοικοῦσιν, οἷς συνέβη τὰ μὲν ἐξ ἀρχῆς Ἕλλησιν οὖσιν ἐκβεβαρβαρῶσθαι, Τυῤῥηνοῖς ἢ Ῥωμαίοις γεγονόσι, καὶ τήν τε φωνὴν μεταβεβληκέναι, τά τε λοιπὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων· ἄγειν τε μίαν τινὰ αὐτοὺς τῶν ἑορτῶν τῶν Ἑλληνικῶν ἔτι καὶ νῦν, ἐν ᾗ συνιόντες ἀναμιμνήσκονται τῶν ἀρχαίων ἐκείνων ὀνομάτων τε καὶ νομίμων· ἀπολοφυράμενοι δὲ πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἀποδακρύσαντες ἀπέρχονται.* Cf. Vellei. I, 4.: Cumanos Osca mutavit vicinitas.

sunt eiusdem cuius nummi Caleni, Tiani, al. Nummi tab. XXX. No. 56. 57. expressi Berolini asservantur. Elementum Γ non hic demum ex graeco alphabeto petitum sed priscorum esse Romanorum, iam supra dixi. In parvo nummo, qui item Berolini est, Iovis conspicitur caput, quod est in nummis Capuae, Atellae, Calatiae; in altera parte Cupido delphino vehitur [1]).

Nummi incerti.

Ad Paestum saepe nummi reperiuntur argentei perparvi, quorum epigraphe osca haec est: **Fistluis** (No. 58.). Quae de iis homines docti commentati sunt, Eckhelius [2]) exposuit et refutavit. Incertum manet, num illic aliquando Osci consederint nummosque cuderint et nomen Posidoniae illo modo pronuntiaverint. Epigraphe, si palaeographiam spectas, mere osca est. Concha et granum frumenti in Cumarum quoque nummis reperiuntur.

Valde suspecti mihi nummi sunt etiam rariores, quorum inscriptio **Fistlus** a sinistra ad dextram legitur (No. 59.). Priscam sane affectant aetatem et in una parte taurum habent in altera caput muliebre passis crinibus, quae eadem in nummis Posidoniae sunt (No. 55.). Sed in palaeographia duo animadvertuntur prorsus incredibilia: eorum unum est oscum vel etruscum f, quamvis epigraphe a sinistra dextrorsum scripta sit; alterum etruscum t, cuius trabs truncum oblique secat: id quod nec oscum est nec graecum.

Alii nummi rariores, et ipsi suspecti, in una parte caput muliebre ostendunt, in altera partem Minotauri anteriorem; epigraphe etrusca supra scripta est **Fistelu**. In iis idem habetur t quod iam notavi, et e quoque non osce sed etrusce est formatum. Accedit nummus parvus simillimus

1) Eckh. D. N. vol. I. p. 158. Lithographus male delphinum tantum repraesentavit.

2) I. p. 159.

eorum, quos supra descripsi. In una parte osca legitur inscriptio **Fistluis**; circa caput autem alterius partis graecis litteris *Φιστελια* [1]). Quem nummum spurium esse confirmat etiam hoc, quod aeneus est. Denique dux de Luynes [2]) ignotae illi Phisteliae nummos assignat priscos adhuc a nullo explicatos, in quibus simul Pos (eidonia) et Viis (No. 63.) aut in utraquo parte Viis (No. 62.) est. Litteras φ et digamma nunquam affines inter se fuisse, saepius monui. Itaque nomina Viis et Fistelia non posse idem significare, certum est. Atque ita abiicienda spes est fore ut urbem accuratius cognoscamus antiquam, quae quum tot nummos cuderit, ne semel quidem a quoquam scriptore commemoratur.

2. Non minores difficultates viris doctis ii paraverunt nummi frequentes, qui vulgo Hyrio, quod est in Apulia, tribuuntur. Ego vero certe hanc originem iure reprobare mihi videor; nam quum eorum numerus oscam ostendat scripturam, quae trans Apenninos usitata non fuit, vix alius potuerunt urbis fuisse quam quae haud longe a Campaniae finibus dissita esset. Et quum in universum nummi graece inscripti antiquiores sint iis, quorum epigraphe osca est, statuere par est, eos coloniae fuisse Graecae, in qua paulatim incolae primarii osci advenas reprimerent. Illam quam dixi viciniam typi quoque indicant, qui partim (No. 72.) cum nummis Neapolis (No. 74.) et Posidoniae (No. 55.) prorsus congruunt, et loca quibus reperti sunt plurimi. Huc referendos arbitror eos quoque nummos vetustos, qui in una parte taurum habent, in altera caput laureatum. Ex viginti quinque nummis, quorum ectypa habeo expressa, eligo No. 64—73. ut varietates maxime notabiles significem.

Nummorum conspectus.

Iam si summatim repetimus, quae ad nummos inscriptos annotata sunt, in aetate primum nos versari apparet

1) Millingen Ancient coins tab. I. No. 5.
2) Choix de méd. grecques pl. V. No. 1. 2. 3.

longe recentiore quam in qua maxima pars aeris gravis, de quo Iesuitae egerunt, fusa est. Exceptis nummis Volaterrarum, Tudertis, Iguvii, Hadriae, plerique omnes, qui epigraphas habent, cusi sunt, non fusi, id quod nominatim etiam de Romanis notandum. Plurimi quidem pondus habent admodum leve, nec in iis globulorum discrimen observatur. Quod nisi series nonnullae ex iis, quas Iesuitae Latinis, Rutulis, Auruncis aliisque populis adtribuunt, Campaniae potius fuerunt, statuendum videtur, illos mediae Italiae populos sero demum, quum coloniae Romanae ad eos deductae essent, nummos cudere coepisse, prius suos sibi nummos omnino non habuisse.

Classes singulares hae sunt:

1) Volaterrae Etruriae. Ea series cum etrusca epigraphe Velaϑri inter etruscas, de quibus alibi agemus, recentissima est. Ii nummi, ut etrusci omnes, duos tantummodo typos habent.

2) Tuder Umbriae. Pondus nummorum et gravius est et levius. In maioribus quidem nummis plenum nomen Tutere umbrica scriptura expressum legitur; in minoribus est brevius Tu. Reductio, quae dicitur, quantum ex palaeographia colligi potest, tertio ante Christum saeculo factà videtur esse, nec longe a romana bello Punico primo instituta recedere. Sex assis partes duodecim typos habent.

3) Nova classis est nummorum transapenninorum de quorum assis divisione supra diximus. Hadria in Piceno, Vestini, si quidem recte epigraphen VES interpretati sumus, Luceria Apuliae nummos cuderunt, quorum maius pondus et levius reperimus. Accedunt nummi Teatis Marrucinorum, Larini Frentanorum, urbis ignotae et dubiae Orrae. Earum trium urbium levius est pondus, nec multum in hac quidem re Luceriae nummi differunt. Haec enim urbs praeter graviores nummos fusos etiam leviores habuit cusos. Scriptura omnium latina est, nec causam video cur graecam veterem esse censeamus. Minime omnium in Luceriae num-

mis hoc statui potest, quippe quae iam a. 312 ante Christum colonia Romana facta sit. Leviores nummi ut cuderentur, hic quoque a Romanis videtur institutum bello Punico primo, licet vetus quincuncis divisio simul permanserit. Contra Hadriae, quae a. 293 colonia facta est, ius nummos cudendi ereptum videtur fuisse, quum levius nummorum eius urbis pondus non sit repertum. Nec in Vestinis nummis id observavimus. Typorum distributio Transapenninorum, excepto Arimino, eadem prorsus est quae Tudertinorum.

4) Singulares porro nummi sunt campani Capuae, Atellae, Calatiae. Incredibile est, eos nummos qui terrae illius gravissimi sunt, qui soli ex urbium campanarum ceterarumque ad austrum spectantium nummis globulos etiam in maioribus assis partibus, ut Atellae in triente, habent, communemque typum Iovis caput monstrant, in diversis assis partibus repetitum, mutata tantum altera parte, eos igitur nummos post annum 211 ante Chr. cusos esse, quo quidem anno tres illae urbes a Romanis per vim captae, severe punitae, partim etiam dirutae sunt. Contra non possunt esse cusi antequam terra a Samnitibus occuparetur a. 423. Sed videntur propter reductionem ponderis, quae Tudertinae fere similis est, post annum 330, quum Campani et Samnitium pars civitatem Romanam accepissent, vel fortasse adeo demum post primum bellum Punicum cusi esse, ita ut dimidio posteriori saeculi ante Christum tertii assignandi sint.

5) Nummi coloniarum romanorum.

A. Suessa Aurunca, Cales, Teanum Sidicinum. Eae tres urbes Campaniae septentrionalis commune habent systema, quod in hoc habes conspectu:

a) AR.	b) Æ.	c) Æ.
1. SVESANO	1. SVESANO	1. SVESANO
eques)(Apollo	taurus)(Apollo	gallus)(Minerva
2. CALENO	2. CALENO	2. CALENO
biga)(Minerva	taurus)(Apollo	gallus)(Minerva
2. Tíanud	3. Tíanud	3. TIANO
triga)(Hercules	taurus)(Apollo	gallus)(Minerva

Suessa sola quartum habet typum: Herculem cum leone SVESANO)(caput Mercurii PRBOVM; ea de causa iam supra hunc nummum Suessae Pometiae attribuimus. Suessa Aurunca a. 310, Cales a. 331 colonia Romana facta est; in urbem Teanum a. 331 expugnatam quum colonia non sit deducta, aliqua libertate videtur ea etiam postea gavisa fuisse. Hinc in nummis Teani No. a. et b. osca est scriptura et lingua. Ceteri habent terminationem in -o quam supra romanam ubique esse statuimus. Comparatione instituta, facile quidem agnoscetur, in tribus illis urbibus nummos a. b. reliquis esse pulchriores et graeco stilo insignes, quamquam procul dubio pro vetustioribus eos habere debemus. Videntur intra annum 330 vel 310 et primum vel secundum bellum Punicum cusi esse.

B. Aliarum urbium nummi non hos quos dixi tres typos diversos simul ostendunt; sed ad singulas series hi accedunt:

Ad No. a) nummi Sorae Latii. In iis est: eques et SORANO)(Caput Apollinis. AR. Sora post annum 313 colonia romana facta est. Huc etiam nummi pertinent argentei graece inscripti KAMPANO vel KAPPANO, qui in una parte taurum, in altera Minervam habent, siquidem genuinos esse constat. Sed epigraphe graeca non video quomodo explicari possit.

Ad No. b) Aesernia Latii, quae urbs a. 259 colonia facta est. Eius nummi exstant rari aenei, taurum repraesentantes et Apollinem. Huc etiam nummi aenei referri debent, cum inscriptione Kupelternum, qui Compulteriae urbi adscribuntur. Omnia huius urbis nummi taurum cum facie humana in una parte habent et in altera caput Apollinis.

No. c) subiungo nummos Aquini Latii, in quibus sunt ut in reliquis gallus et AQVINO)(caput Minervae. Iidem typi habentur in nummis Caiatiae vel Caiatii urbis, quorum epigraphe est CAIATINO.

Porro huc pertinent, licet typis quos descripsi careant, propter terminationem romanam -o nummi Suessae Pometiae, ubi est SVESANO et PRBOVM; Paesti, quod colo-

nia factum a. 274, inscripti PAISTANO; Arimini, coloniae inde ab anno 269, quorum epigraphe est ARIMNO; Aeserniae colon. a. 259 in quibus legitur AISERNINO et VOLCANOM; denique nummi quibus inscriptum est: ROMANO. Neque enim Romae ii esse possunt, sed urbium haud procul sitarum, quas illa sibi subiecerat.

Iam ut uno in conspectu omnia videas, hanc pono tabulam:

a) AR. cum diversis typis. c. 330—211. Suessa Aurunca col. 331. Cales col. 331. Teanum Sidicinum subiect. 331. Sora col. 313.	*b*) Æ. taurus)(Apollo c. 330—211. Suessa Aurunca. Cales Teanum Aesernia col. 259 Compulteria.
c) Æ. gallus)(Minerva. inde ab anno 211. Suessa Aurunca. Cales. Teanum. Aquinum. Caiatia.	*d*) Æ. cum diversis typis. c. 330—211. Suessa Pometia. Paestum col. 274. Ariminum col. 269. Aesernia col. 259.

6. Nummi samnitici per bellum sociale a. 98—91 ante Christum cusi argentei omnes sunt, stili plerique minus boni.

a) duo nummi diversi cum epigraphe latina: Italia, a sociis ut videtur cusi, qui septentrionem versus habitabant.

b) duo nummi diversi osce inscripti G. Paapi. G. Mutíl embratur, quos a sociis cusos esse probabile est iis, qui terras australes tenebant.

De litteratura Umbrica et Osca.

Demonstrasse nobis videmur in nostra de tabulis Eugubinis dissertatione [1]), litteraturam Umbrorum antiquam linguae Umbrorum antiquae aeque convenisse, ac posteriorem posteriori; et hanc demonstrationem adhuc stare putamus, quamquam Grotefendus [2]) et post eum Henopius [3]) contradixerunt. Hanc mutationem pronuntiationis in certis litteris apud Umbros factam esse, nemo mirabitur, qui historiam linguae latinae per tria ultima saecula ante nostram aeram novit. Grotefendi hac de re disputatio levis est, neque sibi ipsi constat. „Ceterum, ait [4]), e latinarum literarum „recensu manifesto intelligitur, neque Tuscum, neque Lati„num alphabetum satis aptum fuisse ad veros Umbricarum „vocum sonos exprimendos, eosque nobis eruendos esse ex „utriusque scripturae varietate.“ Nos docet haec ipsa variatio, pronuntiationem mutatam esse. „Hic moneri sufficiat, „pergit ille, Tuscis literis neque o vocalem, neque mediam „quandam literam scribi potuisse, quam ob causam litera b e „Latinorum alphabeto assumpta est, ex aspiratis vero literis, „si ab litera φ (nostra f) discesseris, nullam fuisse necessa„riam. Hinc litera χ nusquam, litera ϑ, ut iam monui, bis „modo pro t legitur; additae sunt e contrario praeter b lite„ram duae sibilantes ϕ́ (r) et ϛ (s), ex b littera variae forma„tae.“ In his verbis ipsius nostrae disputationis fundamentum elocutus est. Quum Etrusci neque o neque b litteras scriberent, Umbri vero hanc ob causam b literam ex Graecorum et Romanorum litteratura mutuarentur, cur o litteram ex iisdem litteraturis non essent mutuati, si in eorum pronun-

1) p. 21 sqq.

2) Rud. l. U. Part. I. p. 1.

3) De lingua Sabina, cum praefatione Grotefendi. Altonae. 1837. p. 20. 21.

4) Rud. L. U. Part. I. p. 7.

tiatione antiqua aeque distincta fuisset ac b littera? Littera ś, quam Grotefendus ζ scribit et Etruscis alienam dicit, Etruscis non deest, sed alia forma scribitur; sed ř litera caruerant. Umbri igitur, quum pronuntiarent, hanc litteram novam adiecerunt; cur non o litteram, si pronuntiassent? Eandem, quam de umbrica litteratura profert opinionem, etiam de osca debet habere. Quis autem sibi persuadebit, hunc populum, qui literas í, ú, g, d, b alienas omnes litteraturae etruscae, novas recepit, solam o litteram non recepisse, propterea quod Etrusci non habuerunt? vel z et s litterarum, si opus habebant, signa invenire non potuisse, quamvis quinque illas litteras optime consignassent? Itaque opus non habuerunt. Neque vero aliter iudicare possumus de litteris, quarum diversitatem Umbri postea non amplius distinxerunt, u et v, r et ř, s et z. Etenim v litteram antiquam Umbrorum et Oscorum u litterae proxime accessisse, demonstrant variationes umbricae *tua*, *tuua*, *tuer*, *touer*, tuva; *saluom*, *saluuom*; *subokau*, *subokauu*; *vatuo*, vatuva, *prinuatur*, prinuvatur; demonstrant umbricum kvestur, oscum kvaísstur, latinum qnaestor; oscum kapv pro latino Cápu[a]; avt, thesavrum, pro aut, thesaurum, al. Itaque sicuti Romani, qui prorsus liberi erant in litterarum inventione, consonantem v a vocali u in litteratura non distinxerunt, quippe qui v litteram non ut hodie Francogalli v suam, sed ut Angli w litteram, pronuntiabant, id est prorsus ut u vocalem correptam, eadem de causa Umbri quoque opus non duxerunt, ut hanc diversitatem litterarum sane levissimam nova littera amplius consignarent. Litteram r dissolverunt in rs, sive soni mutatione inducti, sive quod hae duae litterae latinae ad peculiarem illum sonum accedere videbantur. Sibilans lenis z cum fortiore s confundebatur, prorsus ut pronuntiatio duarum s in Germania media et meridionali non amplius distinguitur, quamquam olim distinguebatur, ut adhuc in septentrionali parte. Neque vero magis mirum est, quod u littera in duas litteras u et o abiit. Notum est,

fere omnes linguas ab initio tres tantum vocales principales a, i, u habuisse, postea e et o adiecisse. Etruscos o nec scripsisse nec pronuntiasse et Romanos o et u saepissime confudisse, scimus. Apud Aegyptios u et o nondum distinctae fuerunt in dialecto sacra, fuerunt in lingua coptica. Quid mirum, si apud Umbros o litterae quasi primam observare possumus originem in illis saeculis, in quibus maxime cum Romanis miscebantur? Tamen alicui dubium nasci posset, si omnes sonorum mutationes tantum ex litteraturarum comparatione percipi potuissent. Sed hoc quoque dubium removere possumus, si animum advertimus ad s litteram antiquarum tabularum cum r in certis locis posteriorum tabularum commutatam, id quod etiam in aliis linguis et praesertim in latina observare possumus. Haec certe mutatio originem ducere non potest ex litteraturae diversitate; imo in ipsis ultimis tabulis umbrice scriptis prima exempla videmus huius sonorum permutationis. Cur igitur idem accidere non potuit in aliis sonis?

Haec inprimis habeo, quibus defendam illam sententiam, cuius expositionem vix pluribus egere putavissem, nisi impugnata fuisset. Per se enim clarum esse videtur, populum, quando primum litteris utatur ad linguam vernaculam consignandam, omnes principales sonorum varietates exprimere studere. In eo autem Henopius [1]) falsus est, quod meam opinionem maxime nixam esse putavit in certis grammaticorum locis, quibus fere nihil momenti tribuo, ubi monumenta ipsa loquuntur.

Pelasgos Tyrrhenos, quorum naturam atque historiam peculiari dissertatione mox tractabo, cum multis aliis rebus litteraturam quoque primum in Italiam advexisse persuasum habeo, deinde ad diversos populos propagavisse. Veterum scriptorum argumenta hac de re in dissertatione de Tabulis Eugubinis (p. 29) iam contuli, neque tamen ante hos octo annos veram rationem, quae intercederet inter Tyrrhenos et

---

1) p. 21.

Etruscos, perspexeram; qua de causa complura tunc dicta nunc aliter dicerem. Id quoque, ne ab aliis perperam mea intelligantur, hic notatum volo, pronuntiationis Umbrorum permutationem nequaquam in parvo illo temporis spatio inclusam fuisse me credere, quod inter tabulas umbrice scriptas et latine scriptas intercessit; hanc antiquissimae pronuntiationis declinationem potius sensim sensimque inde a prima litterarum introductione incepisse, nullis quidem in litteratura semel recepta vestigiis relictis, et illo tantum tempore clarius et in pluribus simul litteris apparuisse, quando nova litteratura denuo ad pronuntiationis rationem paullo mutatam adaptari debuit. Unaquaeque enim litteratura accuratissimam pronuntiationis imaginem praebere potest illius temporis, quo primum instituta est. Nullum igitur dubium restare videtur, quin ex litteraturae diversitate revera de pronuntiationis mutatione coniecturam facere debeamus, quamvis apud Grotefendum [2]) legamus, „vanam esse hanc coniecturam de ser-„monis Umbrici indole paulatim mutata, quatenus illa ea af-„firmatione nitatur, Tuscam litteraturam, quae vere Umbrica „sit, antiquam Umbrorum pronuntiationem aeque referre, at-„que Romanam posteriorem.“ Perperam deinde Grotefendus meam de litteraturarum diversa ratione disputationem confudit cum altera de tempore, quo Tabulae inscriptae sint. Tempus enim partim ex formatione litterarum, partim ex commutatione litterarum s et r, romanis et etruscis monumentis comparatis, ita definire conatus sum, ut tabulas umbrice scriptas quarto, latine scriptas sexto fere Urbis saeculo attribuerem. Nullam hucusque habui causam cur hanc sententiam retractarem, quare ad illam disputationem lectorem relegare possum.

In tabula nostra XXXI. omnes litterarum umbricarum et oscarum formas, quales in monumentis exhibentur, contulimus, et secundum ordinem naturalem disposuimus. Singulae

---

1) Part. I. p. 26.

cuiusque litterae variationes chronologicum, quantum potest, sequuntur ordinem.

Vocales.

Umbri et Osci in antiqua lingua et scriptura, praeter tres principales litteras vocales a, i, u, etiam secundariam ė habuerunt; o litteram Umbri, aeque atque [1]) Etrusci, nondum ab u littera distinxerunt, sed in latina demum litteratura postea recepta scribunt. Apud Oscos in antiqua litteratura u litterae variationem ú videmus, in latina plerumque cum o commutatam. Praeterea quintam Osci vocalem habent í, quae ad graecam *v* accessisse videtur.

A.

Prima, quam notavimus, forma umbrica in prima et secunda tabula Eugubina, altera in tertia et quarta, ultima in quinta exhibitae sunt; oscarum prima tantum in cippo Abellano. Inter latinas Oscorum formas secunda notanda tabulae aeneae Veliternae peculiaris. De pronuntiatione dubitari nequit, quamvis in latinis tabulis Eugubinis saepius cum o commutatam videamus, ut in *uatuo*, *pihos*, *uakose*, *prestate*, *tesenokir* pro vatuva, pihaz, vakaze, prestate, tesenakes. Lectio unica *uatue* (VI^b, 45) pro vatuva scribae error est.

Ai diphthongus non est rara. Habes in aitu, aiu, kuraia, peraia, pernaies; et in latinis tabulis modo *ai*, ut in *persaia*, *portaia*, modo *ae*, ut in *persaea*, *persae*, *daetom*. Pro pusnaes, (I^a, 2) legendum pusnaies. Similiter in lingua latina antiqua ai scribitur et saepius aï pronuntiabatur, ubi postea semper ae scribebatur et mox etiam e pronunciabatur.

Au diphthongus non est umbrica. In litteratura antiqua

1) Priscian. p. 553: „O aliquot Italiae civitates, teste Plinio, non habebant, sed loco eius ponebant V et maxime Umbri et Tusci." Vide diss. de Tabb. Eug. p. 30. 31.

nunquam coniuncta a et u reperiuntur; in tabulis latinis *au* positum est pro av et u pronuntiandum est aeque atque anglicum w; sic in *auif* pro avif. Hac de causa interdum etiam *uu* scriptum est pro simplici u, e. g. in *auuei*. Sed in *subokau* et *subokauu* pronunciandum videtur suboka-u, subokavu. In lingua osca similis est ratio huius diphthongi; in antiqua litteratura av scribitur, avt, ϑesavrum, quod in latina cum *au* commutatur, *aut*, *auti*.

E.

Huius litterae forma in duabus antiquissimis Eugubii tabulis a romana magis recedit; in tertia et quarta eandem sumit formam sed paulo transversam; in quinta prorsus eadem est ac latina; in litteratura osca tantummodo haec ultima forma habetur; media tamen lineola semper brevior est superiore et inferiore.

Saepius e cum i commutatur, ut in karetu, et karitu; tref et trif; arepes et aripes; tera, *dersa*, *dirsa*; *pehaner*, *pihaner*; cum ei in fetu, feitu, *fetu*, *feitu*; *nep*, *neip*, neip.

Ei diphthongus frequens est, feitu, kuveitu, eikvasatis, *deiko*, *deitu*, *aueif*, *grabouei*, al.

Eu vides in eu, euze, perakneu, sakreu, *euront*.

Ee pro e falso scribi videtur in *frateer*, *meersta*, *eesona*, *eest*, *feetu*.

Eo habes in *eo*; ea in easa, spontea, vea, *eam*, *eaf*, *seauie*; eia in kureiate, feia, *deueia*; eie in peieriate; eio in *teio*; eiu in feiu, *peiu*.

I.

In litteratura umbrica unam tantum formam habet; saepius cum *ie*, *ei*, *e* commutatur; cum aliis vocalibus coniungitur in syllabis ia, ie, ii, *io*, iu; iei, iia, iie, *iio*, iiu;

iaia, iiei, iuie. Pronunciatio, quae ad j consonantem accederet, in verbis **iuieskane, iuka, iuve, iiuvina** (cf. **ikuvina**), al. fuisse videtur.

In osca litteratura ab **i**, lineola addita distinguitur **í.** Quum in iisdem semper verbis haec littera repetatur, manifestum est indicium, diversam esse ab **i** simplice. Nihilo minus neque ab O. Müllero, neque a quoquam alio haec varietas hucusque observata est. Grotefendus qui interdum lineolam observavit soni quidem varietatem esse non suspicatus, „nullam aliam ob causam factum esse“, sibi persuasit, „quam ne pro numeri notis acciperentur similes litterae“.[1] Verum est, propter pessimum monumentorum fere omnium oscorum editionem certam regulam his in litteris distinguendis vix perspici potuisse; nihilominus nummi osci et paucae aliae inscriptiones Klenzii perspicacitati suffecerunt, ut quum **i** et **í** litteras, tum **u** et **ú** recte distingueret, nisi quod ex plurimorum monumentorum inconstantia colligere se posse putavit, in pronuntiatione quoque sibi ipsis non constitisse populos osce loquentes. Rectissime porro in schedis quae mihi praesto sunt, observavit Klenzius, elementorum illorum quae Ti. Claudius imperator inter litteras romanas recipere voluit, duo quidem ex osca litteratura repetita videri[2]). Notum enim est, Claudium tria litterarum signa proposuisse in scriptione singulari, quae, postquam imperator factus est, revera recepta et in actis publicis et legibus adhibita sunt; imo exstant ad hunc diem tituli temporis Claudiani qui has litteras exhibent. Postea vero oblivioni traditae sunt[3]). Diu est, ex quo de duobus signis nullum est dubium. De Ⅎ enim, vel ꟻ, nota quae v consonantem exprimere debebat, Quintilia-

1) Rud. L. O. p. 27. 45.

2) Adnotationem satis amplam, quam Klenzius de litteris a Claudio propositis conscripsit, infra habes fere integram. Pauca adiicienda erant, plura omittenda, quae certo non scripsisset, si rectiora habuisset monumentorum exempla.

3) Suet. Claud. 41. Tacit. Ann. XI. 13. 14.

nus [1]) diserte loquitur eamque inscriptiones in verbis terminavit, ampliavit, [2]) via, Valerius,[3]) divus, vir, iuventus[4]), Octavia[5]), vixit[6]) exhibent[7]). Secunda nota a Prisciano antisigma nominatur, i. e. sigma graecum C duplicatum)(, quam proposuit ad ψ exprimendum[8]). Quod ad tertium signum attinet Taylorus primus demonstravit ex Velii Longi[9]) loco, veteres Romanos in quibusdam verbis sonum habuisse inter i et u medium, quamvis i scriberent, ut in virtus, vir, vigere, fortasse etiam in dicere et scribere. Elegit ad hunc finem Claudius notam, quam Graeci inprimis Italiae inferioris pro aspiratione posuerunt[10]), i. e ipsam nostram í litteram Ⱶ. Multo autem mihi verisimilius est, hanc notam ab Oscis quam a Graecis,

---

1) Inst. I, 7. 27. XII, 10. 29.

2) Grut. CXCVI, 1.

3) Rein. III, 80.

4) Grut. CCXXXVI, 4. 9.

5) Grut. CCXXXVIII, 6.

6) Rein. XV, 15.

7) Cf. Taylor ad marmor Sandvic. p. 46 sqq.

8) Prisc. (Putsch. p. 545). Mart. Capella 1, 3. Cf. Voss. de arte gramm. 1, 24. Lips. ad Tacit. l. l. Leop. Schneider Gramm. vol. I. p. 5.

9) p. 2235 (secundum Taylor p. 47) „unde sit (fit?), ut saepe aliud scribamus, aliud enuntiemus, sicut supra (p. 2219) locutus sum de viro et virtute, ubi I scribitur et paene V enuntiatur; unde Ti. Claudius novam quandam litteram excogitavit, similem ei notae, quam pro aspiratione Graeci ponunt, per quam scriberentur eae voces, quae neque secundum exilitatem litterae I, neque secundum pinguitudinem litterae V sonant, ut in viro et virtute, neque rursus secundum latum litterae sonum enuntiarentur, ut in eo quod est legere (dicere? Schneider. vol. I. p. 23), scribere.“ Conferas etiam Seyferti Grammaticam latinam I. §. 156. et Schneideri vol. I. p. 6. 21 sqq. — De eodem sono etiam Quintilianus loquitur I, 4: „Et medius est quidem V et I litterae sonus; non enim sic optimum dicimus ut opimum.“

10) Vide Mazocchii, Comm. in aeneas tabb. Heracl. P. I. 1754. p. 126 sqq.

mutuatum esse Claudium, quoniam non aspirationem sed i litterae genus exprimere voluit. Accedit quod etiam v consonantis nota a Claudio proposita in osca et etrusca litteratura eundem sonum habuit.

Ad definiendum sonum í litterae oscae, verba et locos componamus necesse est, in quibus reperitur. Saepissime in diphthongis est, ut in eísei, eísak, Heírennís, Herekleís, feíhúss, feíhúís, senateís, suveís kvaísstur, víaí, deketasiúí, lígatúís; non est raro ante duas consonantes, úíttiuf, físnam, íst, patensíns, meddíss, nihfímlups, al.; duplicata est in: fíísnam, fíísname, trííbum, tríbarakavum; desinunt in í verba iní, tiurrí; íúvkiíúí, Abellanúí, deketasiúí, maniíí, púkalatúí, vestirikiíúí, Herentateí, eísei, kvaísturei, medíkei, múíníkei, sverrunei, tereí, vúsei, thesavrei, paí, Púmpaiianaí, víaí, Herukínaí, mefiaí; praeterea in permultis aliis verbis inter duas consonantes legitur, ut in: píd, Isídú, slaagím, íním, pídúm, Mutíl, al.

Littera i omnino rarior est quam í. Plerumque inter duas consonantes posita est: tanginúd, Aadirans, labiku, aphinis, slaagid; raro ante duas consonantes, ut in: paarigtís, nihfímlups; fere nunquam in diphthongis, ut in mai, Fluusai nisi alterum i sequitur. Duplicata frequens est: Aadíriis, Gaaviis, mitametiis, Púpidiis, Slabiis, Trebiis, ...umiis, Meliíssaii, Púmpaiíanaí, Púmpaiians, vereiiaí. Saepius in terminatione -iuf est: úíttiuf, tríbarakkiuf, frúktatiuf; ante alias vocales ponitur in kúmbenieís, ahvdiuni, eítiuvad, -vam, tiurrí, Víteliú, degetasiús, teremenniú.

Ambae i et í saepius coniunctae sunt et tum i littera

semper í praecedit, íúvkiíúí, vestirikiíúí, Kiípiís, Viíni-kiís, pudiís, Meliíssaii, liímítú, iípe.

Ex his exemplis satis apparet litteram semper **brevem**, et e litterae similiorem fuisse. Non raro pro e romana posita est, et terminationes úí, aí, eí graecae sunt *οι* vel *ῳ*, *αι* vel *ᾳ* et *ει*, quae quidem in latina quoque lingua olim oi, ai, ei fuerunt, deinde oĕ, aĕ, et i vel e pronuntiabantur. In nominativis Kiípiís (Cipius), Viínikiís (Vinicius), al. latinam aequat terminationem **-ius**. Littera i plerumque longa et clara i Romanorum fuisse videtur; saepius tamen etiam brevem fuisse, nominativi in -iís, vox Víteliú i. e. **Italia**, al. nos docent; interdum etiam consonantem j pronuntiatione fere aequasse persuasum habeo, inprimis in illis exemplis ubi i duplicatum est, ut in Púmpaiians i. e. **Pompeianus**.

O. De o littera eiusque cum u commutatione videas, quae in dissertatione de Tabulis Eugubinis dixi[1]. Posteris tantum temporibus ab u littera distinctam esse et hanc ob causam in latina Umbrorum Oscorumque litteratura primum scriptam supra iam indicavimus. Umbrice cum aliis vocalibus coniunctam videmus in *oe*, *oi*, *oo*, *ou*, *oei*, *oie*, cf. *poe*, *poi*, *enookar*, *kourtust*, *poei*, *hoier*. Plerumque pro antiqua u posita est, interdum pro a, cf. kunikaś, tesenakes, *konegōs*, *tesenokir*. Dubium esse potest, num Osci omnino o longam habuerint, an semper corripuerint.

U. In lingua antiqua Umbrorum, ut iam monuimus, u vocalis simplex fuit. Deinde u brevis saepius ad o litterae pronuntiationem accessisse videtur, quare in latina eorum litteratura o etiam scribitur. Latine contra u̇ et v, quae in antiqua litteratura distinguebantur, eadem nota exprimuntur, quum pronuntiatio ambarum litterarum de qua supra diximus, persimilis esset.

---

1) p. 30—33. 74 sqq.

Eadem ratio in osca lingua et litteratura perspicitur, nisi quod hic u litterae diversi soni iam prius constituebantur quam romana recepta esset litteratura. Etenim sicuti duas i notas habebant, duas quoque u ita distinguebant, ut alteri punctum vel lineolam ad soni diversitatem exprimendam adderent. In plurimis linguis quas novimus observatur, primorum elementorum constitutionem talem esse, ut variae partes alphabeti certam assecutae sint aequalitatem. Ex hac lege cuius expositio non est huius loci, fere ubique i et u primarias vocales easdem habere mutationes videmus, cuius rei novum habemus exemplum in osca litteratura in qua ex i et u simul í et ú nascuntur. Quod si rectum vidimus in definienda pronuntiatione í litterae, quam brevem fuisse et ad e sonum accessisse credimus, ex hac ipsa definitione probabiliter colligere nobis videmur, ú litteram quoque brevem fuisse et ad o sonum accessisse. Id quod exemplis verborum, quae ú litteram exhibent, manifesto confirmatur.

In latina Oscorum litteratura pro ú nota plurimum o ponitur, prorsus ut u brevis latina plerumque ŏ pronuntiabatur a Romanis, consol, bonom, al. Ita osca verba **púst, iúk, púd** latine scribuntur *post, iok, pod*. Terminatio -um, ut in lingua latina, in *-om* transit: *dolom, dunom, esaristrom, ferom, inom*, al. Pro latine o posita est etiam in **Púmpaiians, Púpidiís**, i. e. Pompeianus, Popidius. Frequens est ú in terminationibus -ús, -úm, -úd, -úi, -úís: **Abbellanús, degatasiús, altínúm, sakaraklúm, tríibúm, terúm, thesavrúm; amnúd, púd** (lat. quod), **úpeísúd; Abellanúí, deketasiúí, íúvkiíúí, feíhúís, lígatúís**. Ante duas consonantes habes in: **feíhúss, kúmbened, prúffed, púkkasíd, Púmpaiians, pússtíst, púst, pútúrúspíd, úllad**. — Litteram u sine lineola in terminationibus **-uf, -um** (lat. -orum), **-ud** (imperat.) et quibusdam aliis habes: **frúkta-**

tiuf, tríbarakkiuf, úíttiuf, puf; ekkum, tríbarakavum; amvíanud, líkítud, kvaísstur (lat. quaestōr); palanu, sarínu, veru, víu, labiku; saepissime ante consonantem simplicem: akun, eítíuvat, ekkum, eksuk, fufans, fusíd, Herukínaí, Mutíl, prupukid, tuset, al.; raro ante duas consonantes: eítuns, nihfímlups, tíurrí; geminata est is Fluusaí. In latina quoque litteratura plerumque *u* scribitur: tuset, *tuzet*; tanginud, *tanginud*; estud, *estud*; uruvú, *urust*.

Semivocales.

V. In antiqua Umbrorum et Oscorum litteratura consonans v a vocali u distinguitur et ut anglicum w pronuntiata videtur esse. Quare diphthongus au osce av scribitur, ut in avt, *aut*, *auti*, latine aut, umbrice ute, *ote*; osce thesavrum, latine thesaurum. Pro u latina etiam post k ponitur: osce kvaisstur, umbrice kvestur, romane quaestor (cf. litteram Q).

Formae palaeographicae v litterae in umbrica litteratura prorsus eodem modo mutantur, quo formae e litterae, ut vides in nostra tabula XXXI.

L. Lineola inferior paululum superne inclinata est, aeque atque in antiqua litteratura romana. Olim nota quaedam tabulae Eugubinae quintae pro l habebatur, quoniam graecae Λ similis est. Hanc litteram m potius esse, in Dissertatione de Tabb. Eugubinis demonstravi [1]). Littera l in lingua Umbrica omnino rara est; nunquam ab ea verbum incipit; claudit voces: tisel, erel, katel, sumel; geminata est in *padellar*. In medio verbo tantummodo ante vocales reperitur; consonantium praecedunt interdum p, t, k. In osca lingua frequentior est.

1) p. 46.

M. Forma palaeographica in duabus antiquissimis tabulis Eugubinis oscae similis est; in tertia et quarta inclinatur; in quinta prorsus est peculiaris Λ, de cuius origine et ratione palaeographica nihil omnino habeo quod dicam. Quum haec nota olimab m littera abiudicaretur, alia eidem falso tribuebatur. Nimirum in duobus locis 1) verba śalu et śeritu primam exhibent litteram simillimam romanae M; quare Grotefendus 2) scribit et explicat malu et meritu. Haec nota alibi non exstat, neque ipsa verba. Siquidem revera pro m romana posita esset, Grotefendus sane optimum afferre potuisset argumentum, quo suam opinionem confirmaret de umbricis et latinis tabulis eidem tempori assignandis. Sed res longe aliter habet. Diligenter enim notatum volo, litteram illam ita fictam esse, ut lineae extremae paralleli sint (M); haec forma m litterae recentissima est apud Romanos, et quando usurpari cepit, medius litterae angulus inferius producebatur hunc in modum M. At vero ante Augusti tempora lineae extremae nunquam paralleli ducebantur, sed ita: /\/\. Eandem formam haec littera etiam in umbricis et oscis titulis latine scriptis habet, ut est in tabulis nostris. Quodsi notam illam de qua agimus e romano alphabeto mutuatus esset scriba, etruscas tabulas vel iuniores habere deberemus quam ipsas latine scriptas. At exstat nota in antiqua graeca et, quod etiam maioris est momenti, in etrusca litteratura, quae nostram ad amussim aequat. Illa nota certam aliquam s litterae speciem exprimit, quam iam antea 3) cum ś umbrica comparavimus. Multo igitur probabilius est, ad Etruscos vicinos hanc notam pertinere, quam ad Romanos, neque m pronuntiandam esse sed ś. Idem dicendum est de littera ⊙ etrusca potius quam umbrica, etsi bis in tabulis Eugubinis pro T scripta est. Cur autem in his duobus tantum locis etrusca forma pro um-

---

1) Tab. Eugub. II^{b}, 18, 24.
2) Rud. Umbr. Part. VII. p. 20. cf. p. 23.
3) De tabb. Eug. p. 67, 71.

brica posita sit, num etruscae sint originis ipsa verba, an scribae tantum error sit, equidem diiudicare non ausim.

N. Formam palaeographicam huius litterae postea mutatam videmus ad exemplum m litterae.

R. Umbri et Osci litteram caninam habebant aeque ac Romani. Umbri eam prae aliis adamabant, eaque magis magisque in terminationibus usi sunt pro s littera, qua in re maxime conspicua est discrepantia antiquae et recentioris dialecti. Habes enim in latinis tabulis *martier*, *totar*, *iiouinar*, *koredier*, *aseriater*, *verir*, *treplanir*, *tesenokir*, *vehiier*, pro antiquis: marties, tutas, ikuvinas, kureties, anzeriates, veres, treplanes, tesenakes, vehiies. Quam quidem dialecti mutationem iam in quinta tabula umbrica reperis in verbis: atiieřier, atiieřiur, kluviier, nuřpener, tupler, tripler, al. [1]). In principio verborum vel in mediis verbis non deprehendimus has litteras inter se commutatas.

Ř. Haec littera ante O. Müllerum ab omnibus pro r habita est, quamvis maxime sit diversa. In tabulis latinis loco eius duas habes consonantes rs: huřie, tařinate, piře, peřaia, kařitu, teřa, teřust, kaleřuf, zeřef, suřum, puře, kapiře, peřu, al. *horse*, *tarsinater*, *pirse*, *persaia*, *karsitu*, *dersa*, *dirsust*, *kalersu*, *serse*, *sorsom*, *porsi*, *kapirse*, *perso*.

Sonus igitur medius fuisse inter r et s videtur, vel potius r littera lingualis paululum aspirata; fortassis etiam d litterae non prorsus dissimilis fuit, id quod ex oscae litterae d forma et sono aliquis coniecerit. Diversam tamen a romana d fuisse latina Umbrorum litteratura edocemur, in qua d nunquam pro ř posita est. Verum etiam romanae litterae rs antiquum ř sonum prorsus aequare non potuerunt, quoniam

1) Vide Diss. de Tabb. Eugub. p. 85 sqq.

coniunctas litteras rs in antiquis tabulis reperimus: eturstamu, meřs, latine *eturstahmu*, *mers*. Desinunt in ř verba: persklumař, spantimař, asamař, ereslamař, siinamař et kapiř. Pro fureně legendum furent. Inter r et ř fluctuant: vepuřatu et vepurus; ařveitu, arveitu; ařviu, arviu; tribřišu, *tribrisine*; nuřpener, *nurpier*; et in latinis tabulis: *arsveitu* et *arveitu*; *arsfertur* et *arfertur*.

Mutae.

Praeter tres tenues k, p, t antiqua Umbrorum lingua et litteratura unam tantum mediam distinxit b. Postea Umbri omnes mutas linguae latinae receperunt et non tantum g et d litteris, sed etiam q littera ante u usi sunt.

K. C. In latinis Umbrorum et Oscorum titulis c littera posita est pro antiqua k, pronuntiatione quidem non mutata. Romani enim olim, ut alii Italiae populi, nullam q litteram distinxerunt a k littera in pronuntiatione, et ex duabus notis Graecis et Oscis K et C prius illa, posterius hac saepius videntur usi esse. Postea, quum g sonum pronuntiare coepissent novam excogitare debebant litteram, quam ex C nota, unco inferiore producto G formavisse et in alphabetum introduxisse dicitur Sp. Carvilius. Quare quum nulla inter k et c litteras pronuntiationis diversitas unquam fuisset, una eademque nota k in nostro textu scribere debuimus, idque eo magis necessarium duximus quoniam c littera hodie a diversis populis diversissimo modo pronuntiatur.

G. Osci hanc litteram iam in antiqua litteratura habuerunt, et eadem nota qua olim Graeci expresserunt. Sic habemus in verbis: degetasiús, Gaaviis, paarigtís, lígatúís, *ligud*, slaagid, slagím, tanginud, *tanginud*, et in nummis: G. Paapi G. i. e. Gaius Papius, Gaii (filius).—

Umbri g nondum in antiqua litteratura habuerunt, sed in latina adiecerunt: **Krapuvi, kumiaf, kunikaz, iveka,** ***Grabove, Graboui, Grabouie, gomia, konegos, iuenga, mugatu, angla, anglaf, angluto, agre.*** Interdum tamen eadem verba etiam latine *k* exhibent, ut: ***ankla, anklar.*** Apparet ex his exemplis, *g* litteram praecipue cum liquidis coniungi. Mirum est, quod tabulae latinae non *igouina* sed *iiouina* scribunt, ut umbrice quoque nunc ikuvina nunc iiuvina reperitur.

Q. In latina litteratura Umbrorum et Oscorum ante u scribitur, ut in lingua latina, ***piquier, pequo;*** pro duabus tamen u litteris una tantum ponitur, ***peiqu, dequrier.*** Ante alias vocales cum k commutatur, ***peiqu, peiko, peika.*** In antiqua litteratura kv eius loco ponitur, **kvestur, tekvias** (dekuries), **ekvi, eikvasese, eikvasatis.** Osce tantum in tabula Bantina legitur pro compendio Quaestoris.

T. In tabulis Eugubinis I. et II. lineola transversa truncum secat, in ceteris iunioribus non secat. Eandem formae varietatem adnotavimus in nummis Tudertinis antiquioribus et iunioribus. Forma osca eadem est, ac latina et graeca. In **pus, entelus, purtinsus t** littera in fine excidit. Geminata est in *tettome.*

D. Haec littera in lingua Umbrica non, quod exspectaveris, ex ř, sed ex **t** littera originem duxit. Non raro in principio verborum ponitur; in mediis verbis plerumque cum liquidis coniuncta est: ***ander, honde, fondlire, adrir, purdinsiust, purditom, persondru (persontru).*** In duabus vocibus ***todkeir*** et ***todkome*** ante tenuem posita est; sed habes etiam ***totkor.*** Osci **d** littera iam in antiqua litteratura usi sunt. Notam ponunt eandem, qua Romani r exprimunt, nisi quod revertunt. De r et d litterarum affinitate etiam in lingua latina, videas quae in Diss. de Tabb.

Eug. dixi [1]). O. Müllerus [2]) oscam d litteram pro r blaesa habuit; hunc tamen errorem iam correximus alibi [3]), nec pluribus hac de re exponi nunc opus videtur esse, quum monumenta, in quibus Müllerus maximam harum litterarum confusionem observavit, nullum amplius dubium admittant. Frequentissima in lingua osca -d fuit terminatio: ehtrad, ekhad, suvad; deded, pruffed, upsed; píd, fusíd; slaagid, prupukid; púd, amnúd; estud, tangínud; *toutad; fuid, hipid, praesentid; ladinod, pod; amnud, estud, tanginud, dolud, malud.*

P. Forma Umbrica eadem est atque Etrusca; Umbrorum latina eadem ac Latina antiqua; Osca est graeca. Littera p, quae in linguis graeca et latina nunquam in fine verborum ponitur, non raro verba Umbrica et Osca claudit: cf. umbrice kutep, vitlup (pro vitluf), turup (pro turuf), neip, *neip, nep*; osce: nep, *nep, neip, donop.*

B. Rara est in lingua Umbrica, nunquam in fine verborum est; saepius in principio. In mediis verbis tantum inter vocales reperitur in tabulis antiquis: habe, trebe, habina; saepius in latine scriptis: *habe, trebe, habina, suboko, rubine, ebetrafe, grabouie, iabusker.* In his etiam, ut d et g, cum liquidis coniungitur: *treblano, treblaneir, kombifiatu, abruf, amboltu, subra, kabriner,* non in tabulis umbrice scriptis, quae in iisdem verbis p scribunt: treplanu, treplanes, kupifiatu, apruf, supru, kaprum. Interdum p et b etiam inter vocales positae fluctuant: hapinaf (et habina), iapuzkum, krapuvi, rupinie.

---

1) p. 47—57.
2) Etr. p. 29.
3) Diss. de tab. Eug. l. l.

Spirans et aspiratae.

H. Umbrica nota Etruscae similis est, osca Latinae et Graecae. In fine verborum non invenitur; in mediis verbis tantum ante vocales, liquidas et t apparet. De h littera interposita in syllabis a h a, e h e, i h i pro simplicibus a, e, i confer quae dixi in Diss. de Tabb. Eug. p. 92 sqq. A lingua osca haec vocalium distractio, quam etiam in latinis verbis: prehendo, vehemens, nihil, cohors, mehe, al. habemus, aliena esse videtur. In mediis verbis est in: ahvdiuni, ehtrad, feíhúís, feíhúss, nihfímlups, *pihom*.

X. Haec littera χ, quae Etruscis frequentissima fuit, neque in Umbrica neque in Osca litteratura reperitur. Unica vox *fratreχs* in tabula Eugubina VII[b], 1. excipienda est. Quum coniuncta sit hoc in verbo cum s littera, non potest x litteram latinam significavisse. Umbrice eadem vox fratreks scripta est, in qua k pro χ ponitur. Apparet inde graecum et etruscum potius fuisse sonum huius litterae. Neque id mirum est, quum in latina quoque litteratura x olim χ pronuntiaretur et cum s sequente coniungeretur, ut in saxsum, exstrad, sexs. (pro sexsaginta)[1]).

In litteratura Oscorum latina nota X. non raro scribitur; neque tamen χ sonum habuit, quare infra inter sibilantes recensita est haec littera.

Θ. Bis tantum in tabulis Eugubinis haec littera habetur, in purtuviϑu (tab. IV, 20), quod in novem aliis locis purtuvitu et in latinis tabulis *purdouitu* scribitur, et in furfaϑ (tab. I[b], 1.) qnod latine scribitur *furfant* (tab. VI[b], 43). Diximus iam supra, ubi de m littera egimus, hanc notam etruscam potius quam umbricam videri. Pronuntiationem, ut in etrusca et graeca lingua, anglico th sono non dissimilem fuisse

---

1) Videas de tabb. Eug. p. 66. 91. et quae dixi in Bull. dell' Inst. Arch. 1836. Luglio. p. 127.

crediderim; at, num Umbricae linguae hic sonus familiaris fuerit, an nota tantum neque vero sonus in illis locis adhibita fuerit, alii diiudicent.

F. Antiqua forma Umbris et Etruscis communis est; Osci paululum mutant. Ambae formae eandem quam graeca Φ littera originem habuisse videntur. Romani e contrario notam diggammatis, quod dicunt, loco eius posuerunt. Non raro abiicitur f littera in lingua umbrica, ut videmus in tre(f), si(f), kapi(f), *porka(f)*, *uitla(f)*.

Sibilantes.

S. Haec est simplex et fortis sibilans, quae in omnibus fere linguis antiquissima inter sibilantes fuit. Forma eadem est in tota Italia, neque aliena est a Graecia. De conversione s litterae in r apud Umbros supra diximus.

Z. A forti illo sibilo leuem distinxerunt Umbri antiqui, forma et pronuntiatione proxima graecae litterae ζ. Eam litteram diu pro x latina positam esse viri docti falso opinati sunt, et ipse ultimus Grotefendus gravi hoc errore denuo deceptus est, quamvis meliora iam ante eius scriptionem exposita fuissent [1]). Erroris prima origo nulla alia fuit, nisi haec. In gemma etrusca nomen viderunt Ulyssis scriptum etruscis litteris Utuze, quod male cum latino Ulixe comparaverunt, quum multis de causis tantum cum graeco *Ὀδύσσευς* comparare deberent. Littera z in latinis verbis semper per s scribitur, cf. etrusca Kanzna, Venzi, Kazi, Veliza quae in inscriptionibus bilinguibus latine scribuntur: Caesius, Vensius, Cassius, Vilisa; prorsus ut graeca ζ in *ὄβρυζον*, *πυτίζειν*, *ἀναγκάζειν*, *κωμάζειν* latine sonat ss: obrussa, pytissare, necesse, comissari. Item in umbrica lingua umbrice scribuntur pihaz, kunikaz, iapuzkum, tasez,

1) De tabb. Eug. p. 59—67. et Annal. dell' Inst. Arch. 1836. p. 164—170.

anzeriatu, puze, quae latine exprimuntur *pihos*, *konegos*, *iapusker*, *taśes*, *aseriatu*, *puse*, al. Idem colligere licet ex litteris coniunctis titulorum etruscorum ks, kś, χs, kz; an os tuum pronuntiare potest verba etrusca **srankxl**, **hekxri**, **katxnas**, **karkxnas**, al., si x latine vis sonare? Imo Graecam ξ litteram vel romanam x in verbis graecis et romanis duabus litteris χς vel ks etrusci expresserunt, ut in **Elχsntre**, **Sekstinal**. Forma palaeographica ⵜ prosus eodem modo ex graeca antiqua ζ littera I nata est, ut † nota ex graeca T; ambae litterae z et t etiam easdem habent mutationes, quas conspicere potes in nostra tabula XXXI. Cur per z hunc sonum expressimus, etsi in litteratura germanica aliter pronuntiatur, in scriptione singulari de litteris peregrinis nostro alphabeto exprimendis exponam. Osci in antiqua litteratura nullam huius litterae notam habent; sed in latina eorum litteratura passim z scribitur, quae nota huc tantum spectare potest. Inde colligere debemus, s et z litteras postea demum ab Oscis distinctas fuisse. Legitur in verbis *egmazum*, *eizazunk*, *eizeik*, *eizuk*, *ezum*, *izik*, *kensazet*, *opeizois*, *poizad*, *uzet*, *ziko*, *zikolois*, *zikolom*, *zikulud*, in quibus antiqui s scripserunt: **úpeísúd**, **eísei**, **eíseís**, **eísak**. Quomodo fieri potuerit, ut Grotefendus [1]) diversitatem litterarum *s* et *z* in tabula Bantina prorsus vel ignoraret vel negaret, equidem non intelligo.

S. Tertia sibilans ab Umbris distinguebatur, quam Osci olim non habuerunt. O. Müllerus primus eam agnovit, quum ante eum viri docti ob certam similitudinem nostrae b litterae pro b habuissent. Neque ŕ neque ś litterarum formae palaeographicae originem ducunt ex B littera, ut Grotefendus opinatur, sed ŕ notam ex aliis alphabetis mutuati sunt, ś notam ex graeca antiqua et etrusca ś nota formaverunt peculiari

---

1) Rud. L. O. p. 46.

modo [1]). Sonus ś litterae etiam posterius ab s differebat, quum in latina quoque litteratura lineola distingueretur. Praeter s et z litteras vix aliam habere potuerunt sibilantem, nisi eam quam per ś exprimimus, i. e. germanicum sch, francogallicum ch. In omnibus fere linguis ś sonus e gutturalibus nascitur et in umbrica quoque lingua affinitas gutturalium conspicua esse videtur, si comparas verba **prusešetu, prusešia, prusešete,** et **prusekatu, prusekurent; fašefeto, fašia, fašiu,** et **fakurent, fakust; pupřiše, pupřišes** et **pupřike, pupřikes;** terminationem **-šla, -šle, -šlu** in **stru(h)šla, erešle, erešlu** et alteram **-kla, -kle, -klu** in **aviekla, fikla, veskla; kumnahkle; muneklu, aviehklu, mantrahklu.** Littera **k** cum **š** inprimis ante **e** et **i** vocales, ut in aliis quoque linguis commutata videtur esse. Scribitur ś tantummodo inter vocales, liquidas et **h.** Particula **an-** litteram **n** ante omnes consonantes abiicit, conservat ante vocales et ś. In duobus locis tabulae II. etruscam huius litterae notam umbricae loco exaratam esse, iam supra adnotavimus.

Osci eundem sonum per X in latina litteratura expressise videntur, quamvis in antiqua litteratura nondum fuerit. Scripsimus igitur *eš, ešak, ešeik, mediš, prumedišud.* In latinis et graecis verbis ex, medix, ἐξ, habemus eius loco x litteram; id quod minus mirum videbitur ei qui novit, Graecos quoque et Romanos certissime distinxisse inter ξ sive x et ks. Veteres enim nunquam pro duobus sonis a principio unam posuerunt notam. Statuendum potius erit, s litteram primum aspirationem addidisse praecedenti mutae [2]), deinde cum illa aspirata in unum sonum coaluisse, qui non admodum absimilis esse potuit nostro sono sch, qui et ipse ex composito sk et sχ nunc simplex ś factus est.

---

1) De tabb. Eug. p. 71.

2) Scripserunt Graeci olim ΧΣ et ΦΣ pro Ξ et Ψ, et Romani xs, i. e. χς pro x.

Haec est ratio, cur in lingua osca ś et s inter se commutatas videamus; scribunt enim et *meddis* vel *medis* et *medis̈*, antiquo autem more cum s geminata, qua novum indicare voluerunt sibilum, meddiss. In vocula ekss quoque geminatam videmus s, unde mutationem iam factam esse colligere debemus sibili qui postea k litteram prorsus videtur expulisse. Aliud in italica lingua exemplum habemus, in qua Alessandro, vissi dicitur pro antiquo Alexander, vixi. His de causis X notam tabulae Bontinae ś scripsimus et eandem esse atque umbricam ś statuimus.

PARS TERTIA.

TRES INDICES COMPLECTENS.

INDEX PRIMUS.

Vocum Umbricarum.

B.

D.

Dersa VIIa, 43. 44. 44. VIIb, 3. cf. teřa, *dirsa*.
Dersekor VIa, 26. 36. 46. VIb, 29. cf. *dirsekor*.
Dersikurent VIb, 62.
Dersikust VIb, 63.
Dersua VIa, 1. 2. 2. 4. 4. 15. 15. 17. 17. cf. tesvam.
Desentuf VIIb, 2.
Destrameskapla VIb, 49.
Destre VIb, 4. 50. cf. testre.
Destruko VIb, 24. 38. cf. testruku.
Desua VIb, 51. 52. 52. (*dersua*) cf. tesvam.
Deueia VIa, 9.
Di VIa, 25. 28. 29. 29. 31. 31. 33. 34. 35. 35. 37. 38. 38. 39. 40. 41. 43. 44. 45. 45. 47. 48. 48. 49. 50. 51. 53. 54. 55.
Dia VIa, 20.
Difue VIb, 4.
Dirsa Vb, 13. VIIa, 46. (*andirsafust*) cf. *dersa*, teřa.
Dirsans Vb, 11. 16.
Dirsas Vb, 8.
Dirsekor VIb, 29. cf. *dersekor*.
Diřtu VIb, 17. 38. 38. 39. VIIa, 5. cf. teřtu.
Dirsust VIIa, 43. cf. teřust.
Disleralinsust VIa, 7.
Ditu VIb, 10. 16. 25. VIIa, 38. cf. titu, tetu.
Druhpei VIa, 11.
Duir Vb, 10. 15.
Dupla VIb, 18. 18. cf. tupler.
Dupursus VIb, 10. cf. *peturpursus*.
Dur VIb, 50. VIIa, 46. (*prinuatur.dur*).
Duti VIb, 63.

E.

E VIb, 37. (*.e.nertruko*). Vb, 16. (*.e.dirsans*).
Eaf Ib, 42.
Eaf VIIa, 52.
Eam VIb, 16. 24.
Easa IIb, 38. cf. asa. seseasa.
Ebetrafe VIa, 12.
Eenpersuntra IIb, 30. (lege venpersuntra) cf. vepesutra, vempesuntres, persuntra.
Eesona VIa, 18. cf. esuna, *esona*.
Eesteso VIa, 2.
Eetu VIb, 54. (lege *fetu*).
Ef VIa, 4.
Efurfatu VIb, 17. VIIa, 38. cf. furfaϑ. *furfant*.
Ehe VIb, 54. (*ehe. esu*).
Ehesu VIb, 54. cf. *esu*.
Eheturstahamu VIb, 55. cf. *eturstahmu*.
Ehiato VIIb, 2.
Ehueltu VIa, 2.
Ehvelklu Va, 23. Vb, 1.
Eikvasatis III, 24. 29.
Eikvasese Va, 4. 16.

G.

H.

I.

O.

R.

Uapefe VIa, 10. VIb, 51.
Vapefem Ib, 14 (*uapefe*).
Uapersus VIa, 9. cf. vapeře.
Uapersusto VIa, 12. 13.
Vapeře III, 7. cf. *uapersus*.
Vaputis IIa, 13.
Vaputu IIa, 10. 17.
Uas VIa, 28. 38. 48. VIb, 30.
Uaseto VIa, 27.
Uasetom VIa, 47. VIb, 30.
Uasetome VIb, 47.
Uasirslome VIa, 12.
Uaso VIb, 40.
Uasor VIa, 19.
Vasus IV, 22.
Uaśetom VIa, 37.
Vaśetumise Ib, 8 (*uasetome*).
Vatra III, 31. lege vatua.
Uatue VIb, 45.
Uatuo VIa, 57. VIb, 1. 19. 43. VIIa, 4 (vatuva, vatuvu).
Vatuva Ia, 4. 13. 22. Ib, 3. 5 (*uatuo, uatue*).
Vatuvu Ib, 25 (*uatuo*).
Ve IIa, 14 (svi:se:ve). cf. sviseve.
Vea Ib, 14. 23 (*uia*).
Uef Vb, 12. 12. 17. 17.
Uehieir VIa, 21.
Uehier VIb, 19. 22.
Vehiies Ia, 20. 24 (*uehier*).
Ueiro VIa, 30. 32. 39.
Veltu IV, 21.
Venpersuntra IIb, 30. Sic legendum pro eenpersuntra.
Vempesuntres IV, 7.
Vepesutra IIa, 15. 18. cf. Venpersuntra.
Vepurus Va, 11.
Vepuřatu IIb, 41. cf. puřatu, ahtrepuřatu, *ahatripursatu*.
Uereir VIa, 22 (*pre.*-)
Uerfale VIa, 8.
Uerir VIa, 58. 59. VIb, 1. 2. 3. 4. 19. 22. VIIa, 7. 38.
Uerisko VIa, 19. 20. 21. VIb, 23. 44. 46. VIIa, 5. 42. 53
Uerofe VIb, 47. cf. verufe.
Verufe Ib, 9 (*uerofe*).
Veskla IIb, 19.
Veskles IIa, 18. IIb, 31. 37. IV, 9. 24.
Uesklir VIIa, 9. 10. 18. 21. 24. 26. 32. 34.
Vesklu Ib, 29. 37. IIa, 19. IIb, 34.
Uesteis VIa, 22.
Vestikatu IIb, 24. 31. 35. 37.
Uestikatu VIb, 16. VIIa, 8. 23. 24. 36.
Uestikos VIb, 25.
Uestis VIb, 6. 25.
Uestisa VIIa, 37.
Uestisia VIb, 5. 6. 17. 24. 25. VIIa, 38.
Uestisiam VIb, 39.
Uestisiar VIb, 16. 38. VIIa, 38.
Uestisier VIa, 14.
Vestiśa Ia, 17. 31 (*uestisiam*). cf. vistiśa.

Numerorum notae.

INDEX SECUNDUS.

Vocum Oscarum.

A.

Q.

Numerorum notae.

INDEX TERTIUS

vocum Sabinarum, Oscarum et aliarum, quae a scriptoribus commemorantur.

eam, quam militares lecticam, unde videtur derivatum esse cubiculum." — Glossar. MS. Camberon., a Vossio de vitiis serm. p. 419. laudatum: „cumba dicitur lectica a cubando."

Cupencus, sabin. Serv. Aen. XII, 538: „Sane sciendum, cupencum Sabinorum lingua sacerdotem: sunt autem Cupenci Herculis sacerdotes, etc."

Curis, Quiris, sabin. Ovid. Fast. II, 475: „Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis." Varro apud Dionys. Hal. II. p. 109. (ed. Hudson): *Κύρεις γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν· ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος Οὐάῤῥων γράφει.* — Macrob. Sat. I, 9: „Quirinum quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant." — Paul. p. 49: „Curis est sabine hasta. Unde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus." p. 63. s. v. coelibari hasta: — Iunonis Curitis —, quae ita appellabatur a ferenda hasta, quae lingua Sabinorum curis dicitur. Cf. p. 254. Fest. Qu. XII, 23, l. 14. 27. — Serv. Aen. I, 296: „Romulus autem Quirinus ideo dictus est, vel quod hasta utebatur, quae Sabinorum lingua curis dicitur: hasta enim, i. e. curis, telum longum est, unde et securis, quasi semicuris. — Isidor. IX, 2, 84: „Hi et Quirites dicti, quia Quirinus dictus est Romulus; quod semper hasta utebatur, quae Sabinorum lingua quiris dicitur. — Cf. Plut. Romul. 29.

Cyprus, sabin. Varro L. L. V, 159: „Vicus Cyprius a cypro, quod ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine id appellarunt; nam cyprum sabine bonum.

Dalivus, osc. Paul. p. 68: „Dalivum supinum ait esse Aurelius, Aelius stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum. Santra vero dici putat ipsum, quem Graeci *δείλαιον*, id est, propter cuius fatuitatem quis misereri debeat."

Diana, sabin. Varro L. L. V, 74. Vid. Feronia.

Famel, osc. Paul. p. 87: „Famuli origo ab Oscis dependet, apud quos servus famel nominabatur, unde et familia vocata."

Fasena, sabin. Varro ap. Vel. de orthogr. p. 2230. P: „siquidem, ut testis est Varro, a Sabinis fasena dicitur." Cf. p. 2238: „Itaque harenam iustius quis dixerit, quoniam apud antiquos fasena erat, et hordeum, quia fordeum, et sicut supra diximus hircos, quoniam firci erant, et hoedi, quoniam foedi."

Februum, sabin. Varro L. L. VI, 13: „Februum Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum." cf. VI, 34. — Non II, 355. Paul. p. 85. s. v. Februarius.

Fedus, Foedus, sabin. Varro L. L. V, 97: „Ircus, quod Sabini fircus: quod illic fedus, in Latio rure edus; qui in urbe, ut in multis A addito, aedus." — Apulei. de not. adspir. p. 94. (ed. Osann.): „M. Terentius scribit hedum lingua Sabinorum fedum vocatum, Romanosque corrupte hedus pro eo quod est fedus habuisse, sicut hircus pro fircus, et trahere pro trafere." p. 125: „Sabini enim fircus, Romani hircus; illi vefere, Romani vehere protulerunt." Cf. Paul. p. 84: „Foedum antiqui dicebant pro hoedo, folus pro olere, fostem pro hoste, fostiam pro hostia." Cf. Vel. Long. p. 2230. 2238. P. Vide Fasena.

Feronia, sabin. Varro L. L. V, 74: Feronia, Minerva, Novensides a Sabinis. Paulo aliter ab eisdem dicimus Herculem, Vestam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem. Et arae Sabinam linguam olent quae Tati regis voto sunt Romae dedicatae; nam ut Annales dicunt, vovit Opi, Florae, Vedio, Iovi Saturnoque, Soli, Lunae, Volcano et Summano itemque Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae Lucinaeque. E quis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices, ut arbores quae in confinio natae in utroque agro serpunt: potest enim Saturnus hic de alia causa esse dictus atque in Sabinis, et sic Diana et de quibus supra dictum est." Cf. O. Müller. Etr. III, 3, 8.

Fides, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Fircus, sabin. Varro L. L. V, 97. Vide Fedus. Apulei. de not. adspir. p. 94. Vide Fedus. Vel. Orthogr. p. 2230. 2238. Vide Fasena.

Flora, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Fors, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Fortuna, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Gela, opice. Steph. v. *Γέλα: — ὁ δὲ ποταμὸς (Γέλα) ὅτι πολλὴν πάχνην γεννᾷ· ταύτην γὰρ τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι.*"

Hercules, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Herna, sabin. et marsic. Serv. Aen. VII, 684: Sabinorum lingua saxa herna vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis elicuit et habitare secum fecit saxonis in montibus. Unde dicti sunt [Hernica loca et populi] Hernici. — Interpr. Veron. ad Virg. Aen. VII, 684: „etiam Marsi lingua sua saxa hernas vocant." — Paul. p. 100: „Hernici dicti a saxis, quae Marsi herna dicunt." Cf. Beda de orthogr. p. 2344. P.

Idus, sabin. Varro L. L. VI, 28: „Idus ab eo quod Tusci itus, vel potius quod Sabini idus dicunt."

Irpus, sabin. et samnit. Serv. ad Aen. XI, 785: „Nam lupi Sabinorum lingua hirpi vocantur." — Paul. p. 106: „Irpini appellati nomine lupi, quem irpum dicunt Samnites; eum enim ducem secuti agros occupavere." — Strabo V. p. 250: „*Ἑξῆς δ' εἰσὶν Ἱρπῖνοι, καὐτοὶ Σαυνῖται· τοὔνομα δ' ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας· ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαυνῖται τὸν λύκον.*

Iupiter, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Lares, sabin. Varro l. l. Vide Feronia.

Larunda, sabin. Varro l. l. Vide Feronia.

Lepestae, sabin. Varro L. L. V, 123: „Dictae lepestae, quae etiamnunc in diebus sacris Sabinis vasa vinaria in mensa deorum sunt posita; apud antiquos scriptores Graecos inveni appellari poculi genus *λεπαστάν* (sic Müllerus) quare vel inde radices in agrum Sabinum et Romanum sunt profectae."

Lixula, sabin. Varro L. L. V, 107: „Circuli, quod mixta fari-

na et caseo et aqua circuitum aequabiliter fundebant. Hoc quidam qui magis incondite faciebant, vocabant lixulas et semilixulas vocabulo Sabino, itaque frequentati a Sabinis."

Lucina, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Luna, sabin. Varro l. l. Vide Feronia.

Maesius, osc. Paul. p. 136: „Maesius lingua Osca mensis Maius. Osci enim a regione Campaniae, quae est Oscorum, vocati sunt."

Mamers, osc. et sabin. Paul. p. 131: „Mamers Mamertis facit, id est lingua Osca Mars, Martis, unde et Mamertini in Sicilia dicti, qui Messanae habitant." Fest. Quat. IX, 8: „et nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini, quod coniectis in sortem duodecim deorum nominibus, Mamers forte exierat, qui lingua Oscorum Mars significatur." Qu. VIII, 12: „Mamercus praenomen Oscum est ab eo, quod hi Martem Mamertem appellant." Varro L. L. V, 73: „Mars ab eo, quod maribus in bello praeest, aut quod ab Sabinis acceptus, ibi est Mamers."

Meddix, osc. Liv. XXVI, 6: „Medix tuticus summus apud Campanos magistratus." cf. XXIV, 19. — Paul. p. 123: „Meddix apud Oscos nomen magistratus est."

Minerva, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Multa, osc. et sabin. Fest. Qu. VIII, 24: „Multam Osce dici putant poenam quidam." cf. Paul. p. 143. — Varro ap. Gell. XI, 1: „Vocabulum autem ipsum multae idem M. Varro uno et vicesimo rerum humanarum non Latinum sed Sabinum esse dicit, idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium qui sunt a Sabinis orti."

Nar, sabin. Serv. Aen. VII, 517: „Sabini lingua sua nar dicunt sulphur. Ergo hunc fluvium ideo dicunt esse Nar appellatum, quod odore sulphureo nares contingat."

Nero, nerio, sabin. Suet. Tib. 1: „Inter cognomina autem et Neronis adsumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus." — Gell. XIII, 22: „Nerio a veteribus sic declinatur, quasi Anio; nam proinde ut Anienem, sic Nerienem dixerunt tertia syllaba producta;

Saturnus, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Scensa, sabin. Fest. Quat. XV, 14. p. 339: „Scensas [Sabini dicebant, quas] nunc cenas; quae autem nunc prandia, cenas habebant, et pro ceni[s vespernas antiqui.]" Paul. p. 338: „Scensas Sabini coenas dicebant. Quae autem nunc prandia sunt, coenas dicebant, et pro coenis vespernas appellabant.

Sol, sabin. Varro l. l. Vide Feronia. — Varro L. L. V, 68: „Sol, vel quod ita Sabini, vel quod solus ita lucet, ut ex eo deo dies sit." — Paul. p. 23: „Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret Soli, qui ex hoc Auseli dicebantur, ut Valesii, Papisii pro eo quod est Valerii, Papirii."

Sollo, osc. Fest. Quat. XIV, 4, 6: „Sollo Osce dicitur id quod nos totum vocamus." Cf. Paul. p. 299.

Strebula, umbr. Fest. Quat. XIV, 18. p. 313: „Strebula umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas G[raeci μηρία dicunt, quae] in altaria in[poni solebant, ut Plau]tus ait in Fri[volaria.]" — Paul. p. 312: „Strebula lingua Umbrorum appellabant partes carnium sacrificatarum." — cf. Varro L. L. VII, 67: „Stribula, ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bovis; id graecum est ab eius loci versura." — Arnob. adv. gent. VII, 24: „Non enim placet carnem strebulam nominari quae taurorum e coxendicibus demitur."

Strena, sabin. Elpidian. ap. Lyd. de mens. IV, 4: „Ὁ δὲ Ἐλπιδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν στρήναν τὴν ὑγίειαν τῇ Σαβίνων φωνῇ λέγεσθαί φησιν." — Cf. Symmach. Ep. X, 35. — Fest. Quat. XIV, 17. p. 313: s. v. strena. Paul. p. 312. — Non p. 16. 33.

Summanus, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Supparus, osc. Varro L. L. V, 131: „Indutui alterum quod subtus, a quo subucula; alterum quod supra, a quo supparus, nisi id, quod item dicunt Osce."

Tebae, sabin. Varro R. R. III, 1, 16: „Nam lingua prisca

et in Graecia Aeoleis Boeotii sine afflatu vocant collis Tebas: et in Sabinis, quo e Graecia venerunt Pelasgi etiamnunc ita dicunt; cuius vestigium in agro Sabino via Salaria non longe a Reate milliarius clivus appellatur Thebae.

Terenum, sabin. Macrob. Sat. II, 14. „Nunc Terentia dicitur, quae ita mollis est, ut vix attrectata frangatur; de qua in libro Favorini sic reperitur: „Itemque quidam Tarentinas oves vel nuces dicunt quae sunt terentinae a tereno, quod est Sabinorum lingua molle, unde Terentios quoque dictos putat Varro ad Libonem primo."

Terminus, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Tesqua, sabin. Schol. Horat. Epist. I, 14, 19: „Lingua Sabinorum loca difficilia et repleta sentibus sic (tesqua) nominantur."

Trabea, sabin. Lydus de mens. I, 19.

Trafere, sabin. Varro apud Apulei. de not. adspir. p. 94. Vide Fedus.

Trimodiae, sabin. Schol. Horat. Serm. I, 1, 53: „Cumerae dicuntur vasa minora quae capiunt quinque sive sex modios, quae lingua Sabinorum trimodiae dicuntur."

Ungulus, osc. Fest. Quat. XVI, 26: „Ungulus Oscorum lingua anulus." Cf. Paul. p. 374. Plin. H. N. XXXIII, 1: „Apud nos prisci ungulum vocabant."

Vedius, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Vefere, sabin. Varro ap. Apulei. p. 125.

Veia, osc. Paul. p. 368: „Veia ap. Oscos dicebatur plaustrum, unde veiarii stipites in plaustro, et vectura veiatura."

Vesperna, sabin. Fest. Quat. XV, 14. — Paul. p. 338. Vide Feronia.

Vesta, sabin. Varro L. L. V, 74. Vide Feronia.

Volcanus, sabin. Varro l. l. Vide Feronia.

Vortumnus, sabin. Varro l. l. Vide Feronia.


WIDENER
JAN 27 2003
WIDENER
CANCELLED
JAN 30 2003
BOOK DUE

